


-847 — Maior, G. Senten- / tiae veterum poeta- / rum, per locos com- / munes
digestae. / Auctae et recognitae per / Georgium Maiorem. / Magdeburgi ex-
cudebat Michael / Lotther, Anno / M.D.XXXVII. / 8. 12 ungez. u. 10³ gez.
Bll., 1 ungez. leeres.

Nicht bei Kuczynski. Jöcher III, Col. 55. v. d. Hardt III, 275. Mit Titeleinfassung,
Kain u. Abel. Vorrede Petri Svederi Pomerani. Eine Ecke etwas durch Wurmstiche be-
schädigt, einige Flecke u. hier u. da beschrieben.





SENTENTIAE VETERVM POETARVM,
PER LOCOS COMMVNES DIGESTAE.

Aucta & recognita per
GEORGIVM MAIOREM.

Magdeburgi excudebat Michael
Lotther, Anno
M. D. XXXVII.

1907-2307

PETRVS SVEDERVS POME/
ranus candido Lectori S.

*A Veneris tabula laudem sibi ducat Apelles,
Praxitelem parius nobilitetq; lapis,
Et se Phidiaca Pallas commendet ab arte,
Lysippum statuæ concelebrentq; suæ,
Dum modo prisorum diuina torcumata uatum
Præcipuam sortem laudis habere sinant.
Nam quæcunq; illi mutis finxere figuris,
Quid nisi iam putris, sunt monumenta, cinis?
At pictura loquax uatum, & præclara reperta
Durant à nullis attenuanda malis,
Præcipue insigni hac quæ conseruantur in arca
Diuitis exuperant magna talenta Mydæ.
Si quem igitur tangat tantarum copia rerum
Hinc uelut è largo promat abunde penu.*



GEORGIVS MAIOR
LECTORI S.



VLIANVM Imperatorem, acerbis-
simum Christiani nominis hostem, cum
rem Christianam, non a parta vi ac se-
uitia, sed malis artibus euertere cupe-
ret, legem tulisse scribunt, qua Galilæo-
rum liberis (sic enim Christi sectatores appellabat) Eth-
nicorum studijs interdicebatur, Quo quid potuit, ad
labefactandum Christianæ religionis statum, excogi-
tari nocentius? Vidit enim humanarum artium studijs,
tanquam fulchris, è medio sublatis, breui per se ruitu-
ram Christianorum doctrinã, & his præsijs ereptis,
inermes, aduersariorũ impetus ac sophisticas calumnias,
quæ tũ temporis maxime uigebant, nequaquam sustinere
& profligare posse. Hæc enim sunt illius uerba. τῶς
δικείοις γὰρ φησι πρὸς τοὺς ἑβραῖοις τὴν πρὸς οὐμίαν, βαλ-
λόμεθα. ἐκ γὰρ τῶν ἡμετέρων συγγραμμάτων
καθοπλιζόμενοι τὸν κατὰ ἡμῶν ἐνανδύχουσαι
πόλεμον. Erat itaq; hoc pernicioso consilio longe
maiores cladem Christianis allaturus Iulianus, quàm
omnes omnium principum & tyrannorum grauis-
simæ persecutiones, nisi intra tam pauculos dies ista
nubecula (ut à S. Athanasio uocabatur) quæ horren-
da tonitrua & fulmina minabatur, uirtute Galilæi
discussa, simul cum lege sua in puluerem abiisset. At-
qui si nostri perditissimi sæculi mores consideres. Vi-
debis nunc non à Iulianis, Maxentijs, aut Diocletianis,

sed

sed ab ijs ipsis, per quos conseruatam oportuit, Christi
Ecclesiam labefieri. Nam cum eadem illa bonarum lite-
rarum arma, quæ si Christianis extorsisset, iam arcem
Galileorum expugnatam putabat Iulianus, apud no-
stræ professionis homines, in tanto sint neglectu, ut ru-
bigine adesa & consumpta, atq; adeo omnino sublata
cupiant, quid aliud quæso quàm religionis omniumq;
bonarum rerum ruina expectari potest? Non arcetur
iam à literarijs studijs iuuentus, sed ad conseruanda
Christiana dogmata, constituuntur passim à sanioris
iudicij principibus & quibusdam florentibus ciuitati-
bus ludij literarij, proponuntur discentibus præmia,
plurimæ, excitandorum studiorum causa, à doctissimis
uiris eduntur ad pueritiam simul & parentes para-
cleses, Pro sacris concionibus quotidie ferè decantatur,
interituram religionem, nisi & sacrarum rerum &
bonarum artium cognitione adolescentum animi exco-
lantur, qui docentibus olim commode succedere, &
contra impia hereticorum somnia, sanam doctrinam
tueri asserereq; possint, quibus tamen omnibus adeo
nemo mouetur (tanta est hoc tempore dementia) ut
omnes ferè persuasum habeant, ueram pietatis doctri-
nam, etiam sine literarum cognitione retineri posse,
quarum uiliore quoq; quàm τὸ θεομύσιον κρομμύσιον
(ut Græci dicunt) usum esse putant. Neq; miseri homi-
nes uident, quàm omnino superiori sæculo, cum omnia
barbaries teneret, uera Christiana religio uanis tradi-
tionibus & ceremonijs obscurata obrutaq; iacuerit,
quæ

quæ cum iam suam lucem, bonis literis renatis, receperit, exoritur rursus pestis quædam, quæ ueterem barbariem ac impietatem reducere, & omnia bonarum rerum studia extinguere abolereq; uolle uidetur. Is enim est, apud omnes omnium ferme ordinum homines, literarum contemptus, ut uno eodemq; consensu in Christianæ pietatis, cuius tamen studiosi haberi uolunt, perniciem, non secus atq; membra olim contra corpus conspirasse uideantur. Qui enim hoc sacrosanctum Ecclesiæ corpus ali ac sustineri poterit, Vbi deerunt qui salutare diuini uerbi pabulum, quo solo uere uiuimus uigemusq;, reliquis membris pure ministrent & diuidant? Qui, ne ueneno hic cœlestis cibus inficiatur, caueant? Sed de his minus nunc laboratur, quàm (ut prouerbio dicitur) de ranis palustribus. Imo sunt, præter istam hominum pestem, phanatici quidam spiritus, qui in publico contra literas, & earum cultores, acerbissime debacchantur, quibus nisi iam pridem hominem exuissent, precarer, quod de gente cuiusdam Antei & Demarcho Parrhasio Plinius scribit, ut facta metamorphosi ex hominibus in lupos et feras transmutarentur. Sed ualeant ista hominum monstra. Hanc autem querelam iustus nunc dolor mihi expressit, quod, cum pueritiæ formandæ iam præsim, iam indices experior, in quanto non dico contemptu, sed summo & capitali odio apud furiosam multitudinem sint bonarum artium studia, sed sapient olim, at uereor ne nimis sero, Phryges. Cæterum non uideo quæ sit huius

amentiae causa alia, quàm quòd non statim à primis an-
nis pueri, tum de ciuilibus negotijs, tum uera religione
sanas opiniones imbiberunt, unde euenit, ut neq; pieta-
tis neq; uirtutis aliarumq; rerum bonarum uim norint,
atq; (ut poeta ait) uera bona dinoscere possint. Quan-
tum autē ad ea, atq; adeo totam uitam recte instituē-
dam, præter sacras literas, & philosophorum præce-
pta, etiam poetarum lectio momenti habeat, uel ex his
Horatij uersiculis satis patet, cum inquit,
Os tenerum pueri, balbumq; poeta figurat,
Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur & egrum.

Sed quia pleraq; in his sunt, quæ non, nisi confirma-
tis adulescentium iudicijs, citra offensionem legi pos-
sunt, profuerit interim optimas quasq; sententias, in-
firmis adhuc puerorum ingenijs seligere, quibus statim
à prima pueritia ad religionem & ciuilia officia in-
formentur, & ne ab honesti limite aberrant, in tota ui-
ta, tanquam regula quadam & uitæ præscripto utan-
tur. Quòd si plurimum prodest, contra uaria morbo-
rum genera, remedia habere in promptu, quanto longe
utilius fuerit, contra animi morbos, quibus plurimis
infestatur, parata habere uitæ præcepta, quæ mentem
uarijs cupidinibus & affectibus æstuantem ac inflam-
matum, refrigerent reprimantq;? Quorum omnis ge-
neris copiosum penum poetarum libri exhibent, ex
quibus

quibus nos, non quidem omnia, at optima tamen quæq;
per locos communes digesta, quo successu nescio, ma-
gno certe labore ac studio delegimus. Quanquam au-
tem quidam etiam alij eiusmodi sententiarum sylvas
& uiridaria (ut appellarunt) collegerint, tamen spero
nostram operam studiosis adolescentibus, quorum no-
mine hoc quicquid fuit laboris susceptum est, non im-
probatum iri. Nam propter collatos locos, non ordine
tantum, ad perquirenda quibus opus erit, adiuuabun-
tur, sed & similiarum sententiarum delectum habere,
& quomodo eadem res alia atq; alia orationis figu-
ra, ac subinde mutato carminis genere, à diuersis au-
toribus sit explicata, uidere poterunt. Porro si quæ
gnomæ interdum parum commode quibusdam locis ad-
scriptæ uidebuntur, uelim memineras lector, in tanta
rerum uarietate iudicium esse difficile, & plerasq;
sententias ad plures locos posse referri. Illarum autem
usus opinione latius patet. Neq; enim, ulla uitæ
pars, neq; ullum causæ genus est, in quo non possit ha-
rum sententiarum usus esse maximus. Nam siue de
religione docenda est multitudo, habebis quibus
commode uel ad asserendam, uel illustrandam pie-
tatis doctrinam uti possis, sicuti etiam diuum Paulum
Apostolorum principem non puduit ueterum poeta-
rum sententias suis epistolis inserere, siue de ciuilibus
& Reipub. rebus differendum est, facilius interdum
una aliqua insigni sententia quam proluxa oratione
uulgi animos permoueris, siue pueritiam (ut supra
a iij attigi)

attigi) morum præcepta docere uoles, tenacius breues
sententiæ inherebunt, quàm Philosophorum commen=
tarij. Breuiter, siue graues, siue leues, publicæ uel pri=
uatæ, urbanæ seu bellicæ sint causse, nullæ erunt, quæ
harum sententiarum pondere & lumine non exornari
& confirmari possint. Quare lector candidè hoc
labore nostro fruerè ac Vale. Magdebur=
gi Mense Februario 1534.

POETAE EX QVORVM LI=
bris & fragmentis excerptæ sunt
Sententiæ.

Ennius	Propertius
Plautus	Ouidius
Terentius	Persius
Afranius	Lucanus
Lucretius	Silius Italicus
Publius Mimus	Valerius Flaccus
Catullus	Iuuenalis
Virgilius	Martialis
Horatius	Claudianus
Tibullus	Ausonius
Cornelius Gallus	Prudentius
Manilius.	

INDEX LOCORVM

COMMVNIVM.

A

Accipientem meminisse officii decet.		68
Acheron		9
Adhortatio		38
Aduersa interdum prodesse		61
Adulterium		7
Aetas uirilis	21	93
Aetatum discrimina		92
Aetates hominum quatuor		101
Aetas aurea, argentea, ahenea, ferrea.	101.102	
Aetates animantium		103
Affectus celari non posse		17
Aliorum uitia facile cerni, nostra nō itē.		4
Alieno periculo sapere		37
Amantis uita		43
Amor		42
Amicitia		61
Amici uitia noueris, non oderis		63
Ambitio		83
Amiffa desiderari		99
Anni tempestates quatuor	20	100
Aquæ dulciores ex fonte hauriuntur		100
Arrogantia		83
Artes	23	96
	6	Artium

Artium & philosophiæ uis		23
Artes pacis		35
Artes belli		36
Artes humanæ		36
Affentatio		66
Afsiduitas		38
Asperitas		81
Auaritia	7	70
Auaritiæ sedes		35
Audacia		58

B

Beatus		12
Beata uita		14
Bellum	65	72
Belli artes		36
Beneficentia		67
Bonus uir		13
Boni uiri exemplum		13
Bona fama		88

C

Carmina immortalia		27
Celeritas		87
Cerberus		6
Ciuilitas morum		48
Clementia		81
		Cœlestia

Cœlestia signa duodecim	100
Cocytus	9
Comitas	81
Conscia mens recti	15
Conscia mens mali	16
Consuetudo	52
Consolatio	86
Concordia	64
Continentia	41
Contentio	64
Contra cauidicos & iniquos iudices	67
Contagio	98
Corruptela munerum	73
Cura	40

D

Dantem obliuisci, accipientem meminisse officii deces	68
Decem inferorum portæ	9
Deus	54
Deum curam gerere mortalium	eodem
Deorum potestas	55
Deum esse qui cuncta regat	55
Deum esse indicant creaturæ	eodem
Descriptio uirtutis & uoluptatis	2
Descriptio inferorum	5
Descriptio campi Elisii	9
Desperatio	86

Dii

Dii quibus rebus colendi	55
A diis quæ petenda	54
Discordia	10 64
Diuitiæ	69
Dolor acuit ingenia	80
Dotata mulier	48
Duodecim signa cœlestia	101
E	
Ebrietas	41
Educationis uis	30
Educandi quomodo sint liberi	29
Educatio principis	34
Egestas	10
Elegantia morum	48
Elementa quatuor	100
Elyfii campi descriptio	9
Eloquentia & eius uis	26
Emulatio	26
Emendatio	26
Encomium uitæ rusticæ	79
Encomium mathematicorum	99
Encomium coniugii	99
Exemplum boni uiri	13
Ex elementis constare mundum	18
Experientia	26
Exemplorum uis	32
Exitus	90
	Fames

F

Fames		42
Fama bona		88
Fama		eodem
Fatum		56
Fastus		49
Fœminarum inconstantia		47
Fides seruanda præsertim inter amicos.		64
Fides etiam hosti seruanda		eodem
Finis		90
Fluuii infernales		9
Forma		96
Fortitudo		84
Fortuna & eius inconstantia		58
Fortuna secunda		60
Fortuna aduersa		61
Fortunæ suæ quisq; faber		39
Ex fonte hauriuntur dulciores aquæ		100
Fraus		51

G

Garrulitas		66
Gaudium		85
Genus humanum quale	3	18
Gloria		89
Gratitudo		68

H

Harpyæ tres		10
		Histo-

Historiarum usus		37
Homo μικροκόσμος		19
Homo dei imago		eodem
Hominum & bestiarum discrimen		22
Hominum uita misera		19
Hominum ingenium		22
Hominum intra se atrocitas		22
Hominum aetates quatuor		101
Hominum excellentia		18
Hominum uaria dona		18
Homini uni non omnia concessa		19
Hominum uaria ingenia		17
Hominum natura peruersa & corrupta.		17.
Honor		89
Hospitalitas		69
Humanum genus quale	3	18
Humanæ naturæ excellentia	3	22
Humanæ artes		36
	I	
Iactantia		83
Impietas erga deos		7
Impietas erga parentes		7
Impiis cur bene fit		55
Imperium seruorum intollerabile		103
Improbis		15
Improbi coercendi		15
Inconstantia fortunæ		58
		Inferorum

Inferorum descriptio		5
Inferorum portæ decem		9
Infernales fluuii		9
Infortunium		61
Infamia		88
Ingenium		23
Ingenia hominum uaria		17
Ingenii monumenta immortalia		27
Ingenium bonum		97
Ingratitudo		68
Inimicitia		63
Contra iniquos iudices		67
Innocentia		12
Innocenter damnati		6
Ira	49	81
Irae sedes		34
Institutio principis		34
Insperata magis grata		87
Integer		12
Inuidia	28	82
Inuenta Musarum		103
Iuuentus	21	92
Iustitia	49	51
Iudicium uulgi stultum		54
Iustus		12
	L	
Labor		38
		Læsus

Læsus semel timet & cauet		100
Laus		89
Lectio		24
Lex		51
Liber quis		35
Liberalitas		67
Licentia	30	35 52
Literæ		23
Liuor	10	82
Lucrum		72
Luxus		42
	M	
Malorum natura		15
Mala mulier		47
Male parta		73
Mathematicorum encomium		99
Medicina		98
Mediocritas	65	75
Memoria		37
Mens sibi conscia recti		15
Mens sibi conscia mali	16	64
De Mensibus		100
Meretrix		46
Metus		85
Μικροκόσμος		4
Miseria		85
Misericordia		22
		Mors

Mors	20	56
Mores		52
Mora		87
Morositas		81
Moderatio		82
Mulier		46
Mulier bona		eadem
Mulier dotata		48
Munditia morum		48
Munerum corruptela		73
Musarum inuenta		105

N

Naturæ humanæ excellentia	3	22
Natura malorum		15
Naturam celari non posse		17
Natura hominum peruersa & corrupta.		17
30		
Natura hominum		22
Natales		53
Nemo sine uitiis		4
Nemo sua sorte contentus	22	73
Nihil supra uires tentandum		38
Nobilitas quæ uera		53
Nomina stellarum		101
Nosce teipsum		37
Noua		97
	b	Obliuio

Obliuio		37
Obsequium		81
Obsequium non præstandum peccanti.	15	
Obtrectatio		67
Obscuritas uitæ tuta		75
Occasio spectanda		98
Occasionis simulachrum		eodem
Otium honestum		39
Otium ignauum		eodem
Odium		82
Officium discipulorum		37
Omnia caduca & fragilia	19	91
Omnia mutari		20
Omnia consumi usu		97
Omnia tempore produci, consumi, & mu- tari		91
Opes	69	102
Optima primo perire		20
	P	
Pax		49
Pacis artes	35	36
Patientia	51	84
Patria		53
Parfimoniam		73
Paupertas		74
Paupertas tuta		75
		Pauper.

Paupertas acuit ingenia		80
Pædagogia		95
Peccanti non præstandum obsequium.		15
Peennia		69
Periurium	7	67
Philautia	5	83
Philosophiæ uis		23
Phlegeton		9
Poetæ		28
Pœna		52
Pœnitentiæ simulachrum		98
Potestas deorum		55
Potentia exposita malis		80
Præsentia fastidiri		21
Præcepta qualia esse debeant		29
Præcipitatio		87
Prima sedes infantum		6
Princeps		51
Principum uitia conspicua	35	50
Principium		90
Proditio		8
Prometheus		10
Promissa		100
Prudentia		51
Pudor		84
Pudicitia		eodem
Pueritia	21	92
	6 ij	Puerile

Puerile studium 24

Q

Quæ uera nobilitas 34

Quæ petenda a diis 54

Quæ urbs munita 99

Qualia præcepta esse debeant 29

Qualis princeps tales ciues 36 50

Quatuor ætates hominum. 101

Quatuor anni tempestates 20 100

Quatuor elementa 100

Qui seipfos interemerunt 6

Qui amore perierunt eodem

Quis liber 35

Quisq; suæ fortunæ faber est 49

Quisq; suo studio delectatur 63

Quibus rebus colendi superi 55

Quomodo liberi educandi 29

R

Ratio 34

Reditus in gratiam 64

Rex 50

Regnum eodem

Rerum uicissitudo 86

Rhadamanti regia 6

Rigor 50

Rusticæ uitæ encomium 79

Sapien



S

Sapientia		49
Scelestus		15
Senectus	21	92
Senes uenerandi		95
Seditio		7
Seruanda fides inter amicos		64
Seruanda fides etiam hosti		eodem
Seruorum imperium		103
Sisyphus	10	11
Simile simili gaudet		63
Simulatio		66
Signa cœlestia		100
Sobrietas		41
Sola uoluntas interdum probanda		80
Sorte sua nemo contentus	22	73
Somnus		89
Somnia		90
Spes		86
Studium puerile		24
Stilus		26
Stultitia		49
Stellarum nomina		101
Styx		9
Superi quibus rebus colendi		55
Suo quisq; studio delectatur		53

T

b iij

Taciturnitas		66
Tantalus		11
Temeritas		85
Tempestates anni quatuor	20	100
Tempus uolatile		3
Tempus		90
Tempus edax rerum		91
Tempore nihil uelocius	3	91
Tempore omnia produci, consumi & mu- tari		91
Tempus spectandum		98
Temperantia		51
Testes		67
Timor		85
Tityus		11
Tranquillitas uitæ		75
Tyrannis	10	50
Tyrannus		35
V		
Varia dona hominum		18
Veritas		66
Verustate quædam commendari		97
Vicinitas		98
Vim ui repellere licet		51
Vindicta		85
Vinum		41
Virtus	1	34
		Virtutis

Virtutis & uoluptatis descriptio		2
Virtus latens		34
Vir bonus		13
Viri boni exemplum		13
Virilis ætas	21	93
Vis		50
Supra uires nihil tentandum		38
Vitium		4
Vitia aliorum facile cerni, nostra non item		4
Vitia pro uirtutibus		5
Ad uitia facilis aditus, reditus difficilis.		5
Vitia celari non posse		17
Vitia principum conspicua	35	50
Vitia amici noueris, non oderis		63
Vita humana		21
Vita hominum misera		19
Vita beata		14
Vitæ rusticæ encomium		79
Voluptas	2	40
Voluntas sola interdum probanda		80
Vsu omnia consumi		97
Vsum rerum prodesse, negligentiam obesse		97
Quæ urbs munita		99
Vulgi iudicium stultum		54

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Verba sum...



VIRTUS

Horatius Libro I. Epistolarum.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Idem Ibidem.

~~Virtus est medium vitiorum, & utrinq; redactum.~~

Idem eo, libro,

Vilius argentum est auro, uirtutibus aurum.

^{1 Fabi}
^{olymaxime} Ouidius lib. II. de Ponto Elegia III

Iudice te mercede caret, per seq; petenda est,

Externis uirtus, in comitata, bonis.

Silius Itali. lib. XIII.

Ipsa quidem uirtus sibi met pulcherrima merces.

Plautus in Amphitruone

Virtus premium est optimum, uirtus omnibus

Rebus anteit profecto, libertas, salus, uita,

Res, parentes, patria, & prognati, tutantur, seruatur,

Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona, quem

penè est uirtus.

Inuenialis Satyr. X.

Quis enim uirtutem amplectitur ipsam

Præmia si tollas?

Quidius lib. II. de Ponto. Elegia X.

Difficile est, fateor, sed tendit in ardua uirtus

Idem Meta. XIII.

Inuia uirtuti nulla est uia.

Claudianns in consulatum.

Manlii Theodo.

A

Ipsa

Verba sunt Almet

*Actu secundo Acto 2. Quod plura sunt in
fabula uirtutis
Virtus a persona
que prope mediu
cipuas
Theognidos temeritas herdes, uet.
Propta est sume quod
adag. in tu r proban*

*o m esalme re
patriam seu
ca ipse loquor
et q mor de
q de feruare loq*

*Verba sibi
A ne am*

Ipsa quidem uirtus precium sibi, solaq; late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuue petit clarescere ulgi
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitijs animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce
Hanc tamen inuitam blande uestigat & ultro
Ambit honor, docuit totiens à rure profectus
Lictor, & in medijs consul quæsitus aratris.

Ouidi. I. de Ponto.

Sed probitas magnos ingeniumq; facit

Virgilius aut quisquis est auctor
de litera Pytha. Y.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Humanæ uitæ speciem præferre uidetur,
Nam uia uirtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primum spectantibus offert.
Sed requiem præbet fessis in uertice summo,
Molle ostendit iter uia lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, uoluitq; per ardua saxa.
» Quisquis enim duros casus uirtutis amore
» Vicerit, ille sibi, laudemq; decusq; parabit.
» At qui desidiam, luxumq; sequetur inertem,
» Dum fugit oppositos incauta mente labores,
» Turpis inopsq; simul miserabile transiget æuum.

Silius libro III.

Explorans aduersa uiros, perq; aspera duro

Nititur

Nititur ad laudem uirtus interrita cliuo.

Horat. lib. III. Car. ode 19
 Paulum sepultæ distat inertie, *Ad Marcum*
 Celata uirtus.

Silius lib. XV.

Magnanima, inuidia, uirtus caret.

Verba sunt Tynda *Plautus in captiuis*
 Qui per uirtutem peritat, non pol interit.

Iuuenalis Saty I.

Probitas laudatur & alget.

Horati. lib. III. Carmi. ODE. II. ADA.
 Virtus repulsæ nescia sordidæ *MICOS*
 Intaminatis fulget honoribus,
 Nec sumit, aut ponit secures,
 Arbitrio popularis auræ.

Virtus recludens immeritis mori
 Coelum, negata tentat iter uia,
 Coetusq; vulgares, & udam
 Spernit humum, fugiente penna.

Horati. lib. III. Carmi. ODE XVIII
 Dos est magna, parentium *IN AVAROS*
 Virtus, & metuens alterius uiri
 Certo foedere castitas,
 Et peccare nefas, aut precium est mori

Lucanus lib. IX.

Serpens, sitis, ardor, arena,
 Dulcia uirtuti, gaudet patientia duris,

A ij

Latius

Letius est, quoties magno sibi constat honestum.

DESCRIPTIO VOLVPTATIS

& uirtutis ex Xenophonte sumpta, per
Silium Italicum ab Hercule in Scipionem
translata, lib. XV.

Voluptas.

*Has lauri residens iuuenis uiridante sub umbra,
Aedibus extremis uoluebat pectore curas,
Cum subito assistunt dextra, laeuq; per auras,
Allapsæ haud paulum mortali maior imago,
Hinc Virtus, illinc uirtuti inimica Voluptas
Altera Achemenium spirabant uertice odorem,
Ambrosias diffusa comas, & ueste refulgens,
Ostrum qua fuluo Tyrium suffuderat auro.
Fronte decor quæsitus acu, lasciuaq; crebras
Ancipiti motu iaciebant lumina flammæ.*

Virtus,

*Alterius dispar habitus, frons hirta, nec unquam
Composita mutata coma, stans uultus, & ore,
Incessuq; uiro propior, letiq; pudoris.
Celsa humeros niuæ fulgebant stamine pallæ.
Occupat inde prior promissis fisa Voluptas.
Quis furor hic non digne puer consumere bello
Florem æui? Cannæ tibi ne, grauiorq; palude
Meonius stygia lacus excessere? Padusq;
Quem tandem ad finem bellando fata laceesses?
Tu ne etiam tentare paras Atlantia regna?
Sidoniasq; domus? moneo certare periclis
Desine, & armisonæ caput obiectare procellæ.*

Ni fugis

Ni fugis hos ritus, uirtus te seua iubebit
 Per medias uolitare acies, mediosq; per ignes.
 Hæc patrem patruumq; tuos hæc prodiga Paulum,
 Hæc Decios stygias Herebi detrusit ad undas,
 Dum cinerititulum memorandaq; nomina bustis
 Prætendit, nec sensuræ quid gesserit umbræ.
 At si me comitere puer non limite duro
 Iam tibi decurret concessi temporis ætas.
 Haud unquam trepidos abrumpet buccina somnos,
 Non glaciem arctoam non experiere furentis
 Ardorem Cancris, nec mensas sæpe cruento
 Gramine compositas, aberunt sitis aspera, & haustus
 Sub galea puluis, partiq; timore labores.
 Sed current albusq; dies, horæq; serenæ.
 Et molli dabitur uictu sperare senectam.
 Quantas ipse deus lætos generauit in usus
 Res homini, plenaq; dedit bona gaudia dextra.
 Atq; idem exemplar lenis mortalibus æui
 Imperturbata placidus tenet otia mente.
 Illa ego sum, Anchisæ Venerem Simoentis ad undas.
 Quæ iunxi, generis uobis unde æditus autor.
 Illa ego sum, uerti superum quæ sæpe parentem
 Nunc auis in formam, nunc torua in cornua tauri,
 Huc aduerte aures, currit mortalibus æuum,
 Nec nasci bis posse datur, fugit hora, rapitq;
 Tartareus torrens, ac secum ferre sub umbras,
 Si qua animo placuere, negat, quis luce suprema
 Dimississe meas sero non ingemit horas?

A iij

Postquam

Tempus no
latile.

Postquam conticuit, finisq; est addita dictis,
 Tunc uirtus, quas nam iuuenem florentibus inquit
 Pellicis in fraudes, annis, uitæq; tenebras?
 Cui ratio & magnæ cœlestia semina mentis,
 Munere sunt concessa deum, mortalibus alti
 Genus hu- Quantum celicolæ tantundem animalibus isti
 manū qua- Præcellunt cunctis, tribuit namq; ipsa minores,
 le sit. Hos terris natura deos, sed fœdere certo,
 Degeneres tenebris animas damnauit auernis.
 At queis ætherei seruatur seminis ortus
 Cœli porta patet, referam quid cuncta domantem
 Amphitryonadem? quid cui post Seras & Indos
 Captiuo Liber cum signa referret ab Euro,
 Caucasæ currum duxere per oppida Tigres?
 Quid suspiratos magno in discrimine nautis
 Ledaos referam fratres? uestrumq; Quirinum?
 Humanæ Nonne uides hominum ut celsos ad sydera uultus
 naturæ ex- Sustulerit deus? ac sublimia finxerit ora.
 cellentia. Cum pecudes uolucrumq; genus formasq; ferarum
 Cuius coelum Segnem atq; obscœnam passim strauisset in aluum.
 Ad laudes genitum, capiat si munera diuum,
 Fœlix ad laudes hominum genus, huc age Paulum
 Asspice ne longe repeta m, modo Roma minanti
 Impar fidene, contentaq; crescere Asylo
 Quo sese extulerit dextris, idem aspice late,
 Florentes, quondam luxus quas uerterit urbes.
 Quippe nec ira deum tantum nec tela nec hostes
 Quantum sola noces animis illapsa Voluptas.
 Nam nos terram colimus, nos in frum capi
 nos in uigamus, mare, nos in la plia, nos quod nos cles
 in potest ut habemus. Cuncta q; ppter hominum os
 feru cum homi usui om reser non

Ad laudes
 Cuius coelum
 Ad laudes
 Fœlix ad laudes
 Asspice ne longe
 Impar fidene
 Quo sese extulerit
 Florentes
 Quippe nec ira
 Quantum sola
 Nam nos terram
 nos in uigamus
 in potest ut
 feru cum homi

Ebricitas
 mas
 nos quod nos cles
 ppter hominum os

Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris ce
 Circa te semper uolitans infamia pennis. ce
 Mecum honor & laudes, & læto gloria uultu. ce
 Et deus, & niueis uictoria concolor alis. ce
 Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus.
 Casta mihi domus, & celsa stant colle Penates.
 Ardua saxoso perducit semita cliuo
 Aspera principio, nec enim mihi fallere mos est.
 Prosequitur labor, adnitendum intrare uolenti
 Nec bona conscendunt quæ sors infida dedisset,
 Atq; eadem rapuisse ualet, mox celsus ab alto
 Infra te cernes hominum genus, omnia contra
 Experienda manent, quam spondet blanda Voluptas,
 Stramine proiectus duro patiere sub astris
 Insomnes noctes, frigusq; famemq; domabis.
 Idem iustitiæ cultor, quæcumq; capeesses
 Testes factorum stare arbitrare diuos.
 Tunc quoties patriæ rerumq; pericula poscent
 Arma feres primus, primus te in mœnia tolles
 Hostica, nec ferro mentem uincere nec auro.
 Hinc tibi non Tyrio uiciatas murice uestes
 Nec donum deforme uiro fragrantis amomi,
 Sed dabo, qui uestrum sæuo nunc Marte fatigat
 Imperium, superare manu, laurumq; superbam
 In gremio Iouis excisis deponere Pœnis.

Silius lib. III.

Blandoq; ueneno

Desidiæ Virtus paulatim euicta senescit.

A iiij

Vitium.

cap
mas
s
s

VITIVM.
NEMO SINE VITIIS.

Horatius lib. I. Ser.

*Nam vitij nemo sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis urgetur.*

Perfius Satyr. I.

Auriculas asini quis non habet?

Propertius lib. II. AD HEREMVM

Vnicuiq; dedit vitium natura creato.

Horati.

*Nemo ex omni
Parte beatus.*

Claudia. lib. II. in Eutro.

*Sed quia cæcus inest vitij amor, omne futurum
Despicitur, suadentq; breuem præsentia fructum
Et ruit in uetitum damni secura libido.*

ALIORVM VITIA FACILE CERNI
NOSTRA NON ITEM.

Catullus.

*Suus cuiq; adtributus est error,
Sed non uidemus manticae quid in tergo est.*

Perfius Saty. III.

*Vt nemo in sese tentat descendere nemo,
At præcedenti spectatur mantica tergo.*

Horati. lib. I. Ser. Saty. III.

*Mæuius absentem Neuium cum carperet, heus tu
Quidam ait, ignoras te, an ut ignotum dare nobis
Verba putas? egomet mi ignosco Mæuius inquit.*

Stultus

Stultus & improbus hic amor est, dignusq; notari, 5 Philantia.
Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutum.
Quã aut aquila, aut serpens Epidaurius, at tibi cõtra
Euenit, inquirant uitia ut tua rursus & illi.

Deniq; te ipsum

Concute num qua tibi uitiorum insæuerit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala, namq;
Neglectis urenda filix innascitur agris.

Consuetudo.

Pittacus Mity. per Auso.

Ignoscas alijs multa, nihil tibi.

Iuuenalis Saty. II.

Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.

VITIA PRO VIRTUTIBVS.

Horati. in arte

Decipimur specie recti.

Iuuenalis. Saty XIII.

Fallit enim uitium specie, Virtutis & umbra.

Cum sit triste habitu uultuq; & ueste seuerum.

Ouidi. lib. I. de Remed.

Et mala sunt uicina bonis, errore sub illo,

Pro uitio uirtus crimina sæpe tulit,

AD VITIA FACILIS ADITVS

REDITVS DIFFICILIS.

Virgi. lib. VI. Verba sybillæ ad

Facilis descensus Auerni. *Æneam.*

Noctes atq; dies patet atri ianua ditis,

Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,

A ♡

Hoc opus,

Hoc opus, hic labor est, pauci quos æquus amavit.
Iupiter, aut ardens cuexit ad æthera uirtus

DESCRIPTIO INFERORVM
Virgilius lib. VI. Aeneidos

Vestibulum ante ipsum, primisq; in faucibus Orci
Luctus, & ultrices posuere cubilia curæ,
Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus,
Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas,
(Terribiles uisu formæ) lethumq; laborq;
Tum consanguineus lethi sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumq; aduerso in limine bellum,
Ferreiq; Eumenidum thalami, & discordia demens,
Vipereum crinem uittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaq; brachia pandit
Ulmus opaca, ingens, quam sedem somnia uulgo
Vana tenere ferunt, folijsq; sub omnibus hærent.
Multaq; præterea uariarum monstrâ ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; bifformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisq; armata Chimera,
Gorgones, Harpiæq; & forma tricorporis umbra,
Hinc uia Tartarei quæ fert Acherontis ad undas
Turbidus hic cœno, uastaq; uoragine gurges
Aestuat, atq; omnem Cocyto eructat arenam.
Fortitor has horrendus aquas, & flumina seruat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta iacet, stant lumina flamma,

Sordidus

Sordidus ex humeris nudo dependet amictus,
 Ipse ratem conto subigit, uelisque ministrat,
 Et ferruginea subuectat corpora cymba
 Iam senior, sed cruda deo, uiridisque senectus.
 Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
 Matres, atque uiri, defunctaque corpora uita
 Magnanimum heroum, pueri, inuuptaque puella,
 Impositique rogis iuuenes ante ora parentum
 Quam multa in syluis autumnis frigore primo
 Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
 Quam multae glomerantur aues, ubi frigidus annus
 Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
 Stabant orantes, primi transmittere cursum,
 Tendebantque manus ripae ulterioris amore
 Nauita sed tristis nunc hos nunc accipit illos
 Ast alios longe summotos arcet arena.
 Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
 Personat, aduerso recubans immanis in antro,
 Cui uates horrere uidens iam colla colubris,
 Melle soporata, et medicatis frugibus offam,
 Obijcit, ille fame rabida tria guttura pandens,
 Corripit obiectam, atque immania terga resoluit
 Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
 Occupat Aeneas aditum, custode sepulto,
 Euaditque celer ripam irremeabilis undae.
 Continuo auditae uoces, uagitus et ingens,
 Infantumque animae flentes in limine primo,
 Quos dulcis uitae exortes, et ab ubere raptos

Cerberus.

Prima se-
des infan-
tum.

Abstulit

- Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
 Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
- 2 Innocen-**
ter damna-
ti. Nec uero hæ sine sorte datae, sine iudice sedes,
 Quæsitur Minos urnam mouet, ille silentum
 Conciliumq; uocat uitasq; & crimina discit.
- 3 Qui seip-**
fos intere-
merunt. Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi letum
 Infantes peperere manu, lucemq; perosi,
 Proiecere animas, quàm uellent æthere in alto
 Nunc & pauperiem & duros perferre labores?
 Fata obstant, tristici; palus inamabilis unda
 Alligat, & nouies Styx interfusa coercet.
- 4 Qui a-**
more peric-
runt Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
 Lugentes campi, sic illos nomine dicunt.
 Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
 Secreti cælant calles, & myrtea circum
 Sylua tegit, curæ non ipsa in morte relinquunt.
 His Phædræ, Procrinque locis, mœstamq; Eriphilem,
 Crudelis nati monstrantem uulnera, cernit,
 Euadnenq; & Pasiphaen, His Laodomia
 It comes? & iuuenis quondam, nunc foemina Cæneus,
 Rursus & in ueterem fato reuoluta figuram,
 Respicit Aeneas subito & sub rupe sinistra
- 5 Rhada-**
manthi re-
gia. Mœnia lata uidet, triplici circumdata muro,
 Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
 Tartareus Phlegeton, torquetq; sonantia saxa.
 Porta aduersa ingens, solidoq; adamante columnæ
 Vis ut nulla uirum, non ipsi excindere ferro
 Cœlicolæ ualeant, stat ferrea turris ad auras
 Tisiphoneq;

7

Tisiphoneq; sedens palla succincta cruenta,
Vestibulum insomnis seruat noctesq; diesq;
Hinc exaudiri gemitus, & seua sonare
Verbera tum stridor ferri, tractæq; catenæ
Cnosius hæc R hadamanthus habet durissima regna,
Castigatq; auditq; dolos, subigitq; fateri
Quæ quis apud superos furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo fonteis ultrix accincta flagello
Tisiphone, quatit insultans, toruosq; sinistra
Intentans angueis, uocat ægmina seua sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacre
Panduntur portæ, cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat, facies quæ limina seruet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra
Seuior intus habet sedem, tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditq; sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus olympum.
Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine deiecti fundo uoluuntur in imo,
Hic & Aloidas geminos, immania uidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere cœlum
Aggressi, superisq; Iouem detrudere regnis.
Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammæ Iouis & sonitus imitatur Olympi
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans
Per Graium populos, mediæq; per Elidis urbem
Ibat ouans, diuumq; sibi poscebat honorem

Demens,

6 Inferior
tartarus.

Impietas er
ga deos.

Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
 Aere, & cornipedum cursu simularat equorum.
 At pater omnipotens densa inter nubila telum
 Contorsit, non ille faces, nec fumea tædis
 Lumina, præcipitemq; immani turbine adegit
 Necnon & Tityon terræ omniparentis alumnum
 Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
 Porrigitur, rostroq; immanis uultur obunco
 Immortale iecur tundens, fœcundaq; pœnis
 Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
 Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis
 Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumq;?
 Quos super atra silex iam iam lapsura, cadentiq;
 Imminet aßimilis, lucent genialibus altis
 Aurea fulcra toris, epulæq; ante ora paratæ
 Regifico luxu, furiarum maxima iuxta
 Accubat, & manibus prohibet contingere mensas,
 Exurgitq; facem attollens, atq; intonat ore.
 Hic, quibus inuisi fratres, dum uita manebat,
 Pulsatus ue parens, & fraus innexa clienti,
 Aut qui diuitijs soli incubuere repertis,
 Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est,
 Quiq; ob adulterium cæsi, quiq; arma secuti
 Impia, nec ueriti dominorum fallere dextras,
 Inclusi pœnam expectant, nec quære doceri,
 Quam pœnã, aut quæ forma uiros, fortunaue mersit.
 Saxum ingens uoluunt alij, radijsq; rotarum
 Districti pendent, sedet, æternumq; sedebit
Infelix

Impietas er
 ga parētes
 Auaritia.
 Adulteriū
 Seditio.
 Periurium

Infœlix Theseus. Phlegiasq; miserrimus omneis
 Admonet, & magna testatur uoce per umbras
 Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.
 Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentem
 Imposuit, fixit leges pretio, atq; refixit.
 Hic thalamum inuasit natæ, uetitosq; hymenæos,
 Ausi omnes immane nefas, ausoq; potiti.
 Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
 Ferrea uox, omnes scelerum comprehendere formas.

ELYSII CAMPIDESCRIPTIO.

His demum exactis, perfecto munere diuæ
 Deuenerunt locos lætos, & amœna uireta
 Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas.
 Largior hic campos æther, & lumine uestit
 Purpureo, solemq; suum, sua sydera norunt.
 Pars in gramineis exercent membra palæstris,
 Contendunt ludo, & fulua luctantur arena,
 Pars pedibus plaudunt choreas & carmina dicunt.
 Nec non Threicius longa cum ueste sacerdos,
 Obloquitur numeris septem discrimina uocum,
 Iamq; eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
 Hic genus antiquum Teucris, pulcherrima proles,
 Magnanimi heroes nati melioribus annis,
 Ilusq; Assaracusq; & Troiæ Dardanus author.
 Arma procul, currusq; uirum miratur inanes.
 Stant terræ defixæ hastæ, passimq; soluti
 Per campos pascuntur equi, quæ gratia currum,
 Armorumq; fuit uiuis, quæ cura nitentes

Pascere

Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit ecce alios dextra, læuaq; per herbam
Vescentes, lætumq; choro Pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus Eridani per syluam uoluitur amnis.
Hic manus ob patriam pugnando uulnera passi,
Quiq; sacerdotes casti, dum uita manebat,
Quiq; pij uates, & Phœbo digna locuti,
Inuentas aut qui uitam excoluere per artes,
Quiq; sui memores alios fecere merendo,
Omnibus his niuea cinguntur tempora uitta.

Ouidi lib. III. Meta.

266
Est uia decliuis funesta nubila taxo,
Di Cuius ad infernas per muta silentia sedes
Styx nebulas exhalat iners, umbræq; recentes
Descendunt illac, simulachraq; functa sepulchris.
Pallor, hyemsq; tenet late loca senta, nouiq;
Qua sit iter, manes stygiam quod ducat ad urbem,
Ignorant, ubi sit nigri fera regia Ditis.
Mille capax aditus, & apertas undiq; portas
Urbs habet, utq; fretum de tota flumina terra,
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
Exiguus populo est, turbamue accedere sentit,
Errant exanguis sine corpore, & ossibus umbræ,
Parsq; forum celebrant, pars imi tecta tyranni,
Pars aliquas artes antiquæ imitamina uitæ
Exercent, aliam partem sua poena coercet.
Viscera præbebat Tityus lanianda, nouemq;

Iugeribus

Iugeribus distractus erat tibi Tantale nullæ
 Deprenduntur aquæ, quæq; imminet, effugit arbor.
 Aut petis, aut urges ruiturum Sisyphæ saxum.
 Voluitur Ixion, & se sequiturq; refugitq;
 Moliriq; suis letum patruelibus ausæ
 Assidue repetunt, quas perdant, Belides undas.

Silius Italicus li. XIII.

Hic tenebras agitant, uolitantq; per umbras
 Innumeri quondam populi, domus omnibus una
 In medio uastum late se tendit inane,
 Huc quicquid terræ, quicquid freta, & igneus æther
 Nutriuit primo mundi genitæ ab æuo,
 Mors communis agit, descendunt cuncta, capitq;
 Campus iners quantum interijt, restatq; futurum.
 Cingunt regna decem portæ, quarum una receptat
 Belligeros dura gradiui sorte creatos.
 Altera qui leges posuere, atq; inclyta iura
 Gentibus, & primas fundarunt mœnibus urbes.
 Tertia ruricolæ, Cereris iustissima turba,
 Quæ uenit ad manes, & fraudum illæsa ueneno.
 Exim qui lætas artes, uitæq; colendæ
 Inuenere uiam, nec dedignanda parenti
 Carmina fuderunt Phœbo sua limina seruant.
 Proxima quos uenti, sæuæq; hausere procellæ
 Naufraga porta rapit, sic illam nomine dicunt.
 Finitima huic noxa grauido, & peccasse fatenti
 Vasta patet populo, pœnas Rhadamantus in ipso
 Expetit introitu, mortemq; exercet inanem.

Decem infērorū portæ

1

2

3

4

5

6

B

Septima

bub



7 Septima fœmineis reſeratur porta cateruis,
 8 Liuentes ubi caſta fouet Proſerpina lucos.
 9 Infantum hinc gregibus, uerſas ad funera tædas
 10 Paſſis uirginibus, turbæq; in limine lucis
 Elifius cam Est iter extinctæ, & uagitu ianua nota.
 pus Tum ſeducta loco, & laxata lucida nocte
 Clauſtra nitent, quæ ſecreti per limitis umbrans
 Elyſios ducunt campos, hic turba piorum
 Nec ſtygio in regno, cœli nec poſta ſub axe.
 Verum ultra Oceanum ſacro certamina fonti,
 Læthicos potat latices obliuia mentis.
 Extrema hinc auro fulgens, iam lucis honorem
 Sentit, & admoto ſplendet ceu ſydere lunæ,
 Hac animæ cælum repetunt, ac mille peractis
 Oblitæ ditem redeunt in corpora luſtris.
 Has paſſim nigrum pandens mors lurida rictum,
 Itq; reditq; uias, & portis omnibus errat.
 Tum iacet in ſpatium ſine corpore pigra uorago.
 Limofiq; lacus, late exundantibus urit
 Fluuij infer Ripas ſæuus aquis Phlegeton, & turbine anhelos
 nales. Flammæ resonans ſaxoſa incendia torquet.
 Phlegeton Parte alia torrens Cocytos ſanguinis atrî
 Cocytus Vorticibus furit, & ſpumanti gurgite fertur.
 Styx At magnis ſemper diuis, regi; deorum
 Acheron. lurari dignata palus, picis horrida riuo
 Fumiferum uoluit Styx inter ſulphura limum.
 Triftior his Acheron ſanie, craſſoq; ueneno
 Aëſtuat, & gelidam eructans cum murmure arenam
 Descendit

Descendit nigra lentus per stagna palude.
 Hanc optat saniem non uno Cerberus ore,
 Hæc & Tesiphones sunt pocula, & atra Megæra
 Hic sicut, ac nullo rabies extinguitur haustu.
 Vltimus erumpit lacrimarum fontibus amnis
 Ante aulam, atq; aditus, & inexorabile limen.
 Quarta cohors omni stabulante per auia monstro
 Excubat, & manes permixto murmure terret,
 Luctus edax, maciesq; malis comes addita morbis
 Et moeror pastus fletu, & sine sanguine pallor
 Curæq; insidiæq; atq; hinc queribunda senectus,
 Hinc angens utraq; manu sua guttura liuor,
 Et deforme malum, ac sceleri procliuus egestas,
 Errorq; infido gressu, & discordia gaudens
 Permiscere fretum cælo, sed & hostia ditis
 Centenis suctus Briareus recludere palmis,
 Et Sphynx uirgineos rictus infecta cruore,
 Scyllaq; Centauriq; truces umbraeq; Gigantum.
 Cerberus hic ruptis peragrat cum tartara uinclis,
 Non ipsa Alceto, nec foeta furore Megæra
 Audet adire serum, dum fractis mille catenis
 Viperea latrans circumligat ilia cauda
 Dextra uasta comas, nemorosaq; brachia fundit
 Taxus, cocyti rigua frondosior unda
 Hic diræ uolucres, pastusq; cadauere uultur,
 Et multus bubo, ac sparsis stryx sanguine pennis.
 Harpyæq; fouent nidos, atq; omnibus hærent
 Condensæ folijs, nutat stridoribus arbor.

Liuor.
 Egestas
 Discordia.

Harpye
 tres Aello
 occipete et
 celeno te-
 nuerunt
 Strophadas

B ij

Has insulas.

Has inter formas coniunx Iunonis auernæ
 Suggestu residens cognoscit crimina regum,
 Stant uincti, seroq; piget sub iudice culpæ.
Tyrannis. Circum errant, furie pœnarumq; omnis imago
 Quàm uellent nunquam sceptris fulsisse superbis,
 Insultant duro imperio, non digna nec æqua
 Ad superos passi manes, quæq; ante profari
Promethe. Non licitum uiuis, tandem permissa queruntur,
 us. Tunc alius sæuis religatur rupe catenis.
Sisyphus. Ast alius subigit saxum, perq; ardua montis
 Vipereo domat hunc æterna Megæra flagello.
 Talia letiferis restant pacienda tyrannis.

Tibullus lib. I.

At scelerata iacet sedes in nocte profunda
 Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
 Tisiphoneq; impexa, feros pro crinibus angues
 Seuit, & huc illuc impia turba fugit.
 Tum niger in turba serpentum Cerberus ore
 Stridet, & æratas excubat ante fores.
 Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
 Versantur celeri noxia membra rota,
 Porrectusq; nouem Tityus, per iugera terre,
 Assiduas in atro uiscere pascit aues.
 Tantalus est illic & circum stagna, sed acrem
 Iamiam poturi deserit unda sitim.
 Et Danaï proles, Veneris quod numina læsit,
 In caua Lethæas dolia portat aquas.

Claudianus lib. II, in Ruffi.

Est locus

Est locus infaustus, quo conciliatur in unum
 Cocytus Phlegetonq; uadis, in amœnus uterq;
 Alueus, hic uoluit lachrimas, hic igne redundat
 Turris per geminos flammis uicinior amnes
 Porrigitur, solidoq; rigens adamante, sinistro
 Proluit igne latus, dextra cocytia fundit
 Aequora, triste gemens, & flexu concita plangit.
 Huc post emeritam mortalia secula uitam
 Deueniunt, ubi nulla manent discrimina fati,
 Nullus honor, uanoq; exutum nomine regem
 Perturbat plebeius egens, quæsitore in alto
 Conspicuis solio pertentat crimina Minos,
 Et iustis dirimit fontes, quos nolle fateri
 Viderit ad mala mox transmittit uerbera fratris,
 Nam iuxta Rhadamanthus agit congesta superni
 Curriculi, totosq; diu prospexerit actus
 Exæquat damnum meritis, & muta' ferarum
 Cogit umcla pati, truculentos ingerit ursis,
 Frædoncsq; lupis, fallaces uulpibus addit.
 At qui desidia semper, uinoq; grauatus
 Indulgens Veneri uoluit torpescere luxu,
 Hunc suis immundæ pingues detrudit in artus.
 Qui iusto plus esse loquax, arcanaq; sœuit
 Prodere, piscosas fertur uicturus in undas,
 Ut nimiam pensent æterna silentia uocem.
 Quos ubi per uarios annos, per mille figuras
 Egit, lethæo purgatos flumine, tandem
 Rursus ad humanæ reuocat primordia formæ.

B iij

Atqui

Atqui animarū etiā quæcumq; Acheronte profundo
Proditæ sunt esse, in uita sunt omnia nobis.
Nec miser impendens magnum timet acre saxum
Tantalus (ut fama est) cassæ formidine torpens,
Sed magis in uita diuum metus urget inanis
Mortales, casumq; timent, quem cuiq; ferat sors
Nec Tityon uolucres ineunt Acheronte iacentem,
Nec, quod sub magno scrutentur pectore, quicquam
Perpetuam ætatem poterunt reperire profecto.
Quamlibet immani proiectu corporis extet,
Qui non sola nouem dispersis iugera membris
Obtineat sed qui terræ totius orbem,
Non tamen æternum poterit perferre dolorem,
Nec præbere cibum proprio de corpore semper.
Sed Tityus nobis hic est, in amore iacentem,
Quem uolucres lacerant, atq; exest anxius angor,
Aut alia quauis scindunt turpedine curæ.
Sisyphus in uita quoq; nobis ante oculos est,
Qui petere à populo fascēs, sæuasq; secures
Imbibit, et semper uictus, tristisq; recedit.
Nā petere imperiū, quod inane est, nec datur unquā,
Atq; in eo semper durum sufferre laborem,
Hoc est aduerso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à summo iam uertice rursus
Voluitur, et plani raptim petit æquora campi
Deinde animi ingratham naturam pascere semper,
Atq; explere bonis rebus, satiareq; nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum

Tantalus.

Tityus.

Sisyphus.

Cum

Cum redeunt, foetusq; ferunt, uariosq; lepores,
 Nec tamen, explemur uitae fructibus unquam
 Hoc (ut opinor) id est æuo florente puellas,
 Quod memorant, laticem pertusum congerere in uas,
 Quod tamen expleri nulla ratione potestur.
 Cerberus & furiae iam uero, & lucis egenus
 Tartarus horriferos eructans faucibus æstus,
 Hæc neq; sunt usquam, neq; possunt esse profecto.
 Sed metus in uita, poenarum pro malefactis
 Est insignibus insignis, scelerisq; **+** uicula
 Carcer & horribilis de saxo iactus eorum,
 Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ,
 Quæ tamen & si absunt, at mens sibi conscia facti
 Præmetuens, adhibet stimulos, torretq; flagellis,
 Nec uidet interea, qui terminus esse malorum
 Possit, nec quæ sit poenarum deniq; finis,
 Atq; eadem metuit magis hæc ne in morte grauescant,
 Hinc Acherusia fit stultorum deniq; uita.

+ uicula

INNOCENTIA

VIR BONVS, INTEGR
 IVSTVS, BEATVS.

Horati. lib. I. Episto.

Vir bonus est quis?

Qui consulta patrum, qui leges, iuraq; seruat.

Horati. lib II. Sermo.

Quis nam igitur liber: sapiens, sibi qui imperiosus,
 Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; uincula terrent

B iiij

Respon-

Responsare cupidinibus contemnere honores
Fortis, & in se ipso totus teres, atq; rotundus,
Externi ne quid ualeat per leue morari,
In quem manca ruit semper fortuna.

Iuuenalis Saty. VIII.

Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguae si quando citabere testis
Incertaeq; rei. Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, & admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori
Et propter uitam uiuendi perdere causas.

Horati. lib. III. Carmi.

Iustum & tenacem propositi uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neq; Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Horat. lib. I. Epistola. ad Quin-
tium in fine.

Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patiq;
Indignum coges, adimam bona, nempe, pecus, rem.
Lectos, argentum, tollas licet, in manibus &
Compedibus saeuo te sub custode tenebo,
Ipse deus, simulatq; uolam, me soluet opinor.

Hoc sentit

Hoc sentit, moriar, mors ultima linea rerum est.

Horati. lib. III. Carmi.

Non possidentem multa, uocaueris

Recte beatum, rectius occupat

Nomen beati, qui decorum

Muneribus sapienter uti

Duramq; callet pauperiem pati,

Pciusq; letho flagitium timet,

Non ille pro charis amicis

Aut patria timidus perire.

Idem lib. I. Epistola.

Oderunt peccare boni uirtutis amore.

Ibidem

Tu recte uiuis, si curas esse quod audis.

Iuuenalis Saty. XIII.

Rari quippe boni, numeroq; uix sunt totidem, quot

Thebarum portæ, uel diuitis ostia Nili.

Idem Saty. IX.

Viucndum est recte, tum propter plurima, tum his

Præcipue causis, ut linguas mancipiorum

Contemnas, nam lingua mali pars pessima serui.

BONI VIRI EXEMPLVM.

Lucanus, lib. II. de Catone.

Hi mores, hæc duri immota Catonis

Secta fuit, seruare modum, finemq; tenere,

Naturamq; sequi, patriæq; impendere uitam,

Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

Huic epulæ, uicisse famem, magniq; penates

B

v

Summo

Summovisse hyemem tecto, preciosaq; uestis
Hirtam membra supra Romani more Quiritis
Induxisse togam, Venerisq; huic maximus usus,
Progenies, urbi pater est, urbiq; maritus,
Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti.
In commune bonus, nullosq; Catonis in actus
Subrepsit, partemq; tulit sibi nata Voluptas
Silius lib. XV. de Lælio.

Magnum Dardaniæ Læli decus, omnia foelix
Cui natura dedit, nullo renuente decorum.
Ille foro auditus, cum dulcia solueret ora
Aequabat Fylia Neleia uerba senectæ.
Ille ubi suspensi patres, & curia uocem
Posceret, ut cantu ducebat corda senatus.
Idem cum subitum campo perstrinxerat aures
Murmur triste tubæ, tanto seruire ruebat
In pugnam, atq; acies ut natum ad sola liqueret
Bella, nihil uitæ peragi sine laude placebat.

VIRGILIVS AVT QVIS
quis est auctor de uiro bono

Vir bonus & prudens, qualem uix repperit unum,
Millibus è multis hominum consultus Apollo,
Index ipse sui totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, quid leno procax, quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atq; rotundus,
Externæ ne quid labis per leuia fidat.
Ille dies quam longus erit sub sydere Cancræ.

Quantaq;

Quantaq; nox tropico se porrigit in Capricorno,
 Cogitat. & iusto trutinæ se examine pensat,
 Ne quid hiet, nequid protuberet, angulus æquis
 Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.
 Sit solidum quodcunq; subest, nec inania subtus
 Iudicet admotus digitis pellantibus ictus
 Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
 Omnia quam longi reputauerit acta diei,
 Quo prætergressus, quid gestum in tempore quid nō,
 Cur isti facto decus absuit? aut ratio illi?
 Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?
 Quam melius mutare fuit, miseratus egentem.
 Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
 Quid uolui, quod nolle bonum foret: utile honesto
 Cur malus antetuli? num dicto, aut deniq; uultu
 Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
 Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia
 Ingrediens, ortuq; à uespere cuncta reuoluens,
 Offensus prauis, dat palmam, & præmiarectis.

Horati. lib. I. Carmi. Ode. XXII.

Integer uitæ, scelerisq; purus
 Non eget Mauri iaculis, nec arcu
 Nec uenenatis grauida sagittis
 Fuscæ pharetra.
 Siue per Syrtes iter æstuosas
 Siue facturus per inhospitalem
 Caucasum, uel quæ loca fabulosus
 Lambit Hydaspes.

Namq;

Nanq; me sylua lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & ultra
Terminum curis uagor expeditus,
Fugit inermem.

Quale portentum neq; militaris
Daunia in latis alit æsculetis,
Nec Iubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æstiuâ recreatur aura,
Quod latus mundi nebula, malusq;
Iuppiter urget.

Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata,
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

Plautus in Rudente

Supplicij facilius, pius à dijs supplicans
Quam qui scelestus est, inuenit ueniam sibi.

QVAE VITAM BEATIOREM.
EFFICIENT.

Martialis lib. IX.

Vitam quæ faciant beatiorem
Iucundissime Martiali, hæc sunt.
Res non parta labore, sed relictâ,
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta.

Vires

Vires ingenue, salubre corpus,
 Prudens simplicitas, pares amici,
 Conuietus facilis, sine arte mensa,
 Nox non ebria, sed soluta curis
 Non tristis torus, attamen pudicus,
 Somnus, qui faciat breues tenebras,
 Quod sis, esse uelis, nihilq; malis.
 Summum nec metuas diem, nec optes.

Solon Athe. per Auso.

Dico tunc uitam beatam, fata cum peracta sunt.

Ouidi. lib. III. Meta.

Sed scilicet ultima semper
 Expectanda dies homini est, diciq; beatus
 Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

IMPROBUS, SCELESTVS.

Iuuenalis Saty. III.

Sunt qui in Fortune iam casibus omnia ponunt,
 Et nullo credunt mundum rectore moueri
 Natura uolente uices, & lucis & anni,
 Atq; ideo intrepidi quæcumq; altaria tangunt.
 Est alius metuens ne crimen poena sequatur,
 Hic putat esse deos, & peierat, atq; ita secum,
 Decernat quodcumq; uolet de corpore nostro
 Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
 Dum modo uel cæcus teneam, quos abnego nummos.

Malorum
 natura.

Idem eadem Saty.

Mobilis & uaria est ferme natura malorum,
 Cum scelus admittunt, superest constantia, quid, fas,
 Atq;

Atq; nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari nescia, nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte ruborem?
Quis nam hominum est, quem tu contentum uideris
Flagitio? (uno.)

Horati. lib. I. Sermo. Saty. III.

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famamq; dicacis,
Fingere qui non uisa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caucto.

COERCENDI IM-
PROBI.

Publi. Mi.

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.
Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam.

PECCANDI NON PRAE-
STANDVM OBSEQVIVM.

Publi. Mi.

Bis peccas, cum peccanti obsequium accommodas
Bonus animus nunquam erranti obsequium accom-
modat.

MENS SIBI CONSCIA RECTI

Quidi lib. I. Fasto.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in uitium credula turba sumus.

Idem

Idem lib. I. Fasto.

Est aliquid magnis crimen abesse malis.

Idem ibidem.

*Conscia mens, ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemq;, metumq; suo.*

Val. Flac. lib. II.

Stabilem quando optima facta

Dant animum, maiorq; pijs audacia ceptis.

Horati. lib. I. Episto.

Hic murus abeneus esto,

Nil conscire sibi nulla pallefcere culpa.

Plautus in Amphi.

Qui non deliquit, decet

Audacẽ esse, & confidenter pro se & porterne loqui

Plautus in Rudente

Semper cauere, hoc dictum sapientissimum est,

Ne conscij sint ipsi maleficij sui

Bias Priene. per Auso.

Quæ nam summa boni? Mens quæ sibi conscia recti.

MENS SIBI CONSCIA MALI.

Tibul.

Nec tibi celanti fas sit peccare, paranti

Sit deus, occultos qui uetat esse dolos.

Ipse deus somno domitos emittere uocem

Iussit, & inuitos facta tegenda loqui.

Status lib. II. Theba.

O cæca nocentum

Consilia, o semper timidum scelus.

Idem

Idem lib. III. Theb.

Inuigilant animo, scelerisq; patrati,
Supplicium exercent curæ, tum plurima uersat
Pessimus in dubijs augur timor.

Plautus in Mostel.

Nihil est miserius, quàm animus hominis conscius.

Iuuenalis Saty. XIII.

Exemplo quodcumq; malo committitur, ipsi
Displicet auctori, prima est hæc ultio, quod se
Iudice, nemo, nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis prætoris uicerit urnam.

Idem eo lib.

Cur tamen hoc tu

Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo uerbere cedit
Occultum quatiante animo tortore flagellum?
Pœna autem uehemens, ac multo sæuior illis,
Quas & Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamæthus
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

Idem

Hi sunt qui trepidant & ad omnia fulgura pallent
Cum tonat exanimes primo quoq; murmure cœli.

Et infra

Has patitur pœnas peccandi sola uoluntas
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet, cedo si conata peregit?
Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis, interq; molares

Difficili

Difficili crescente cibo & cæt.

Ouidi. lib. I. Amo.

*Multa miser timeo, quia feci multa proterue
Exempliq; metu torqueor ipse mei,*

VITIA, AFFECTVS, ET NATV-
RAM CELARI NON POSSE

Ouidi. II. Meta.

Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu.

Idem.

Ex tacito vultu scire futura licet

Iuuenalis Saty. I.

*Rubet auditor, cui frigida mens est,
Criminibus tacita sudant præcordia culpa,
Inde iræ & lachrymæ.*

Corne. Gal.

*Certe difficile est abscondere pectoris æstus,
Panditur & clauso sæpius ore furor.*

Tibul. lib. III.

*Hei mihi difficile est imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente iocum.*

*Nec bene mendaci risus componitur ore,
Nec bene sollicitis ebria uerba sonant.*

Ouidius Epistola. XV.

*Quà licet, & possum luctor celare furorem
Sed tamen apparet dissimulatus amor.*

Horati. lib. I. Epistola.

Naturam expellas furca tamen usq; recurret.

C

Peruersa

PERVERSA ET CORRUPTA
HOMINVM NATVRA.

Ouidius lib. II. Amo.

*Quod licet ingratum est, quod non licet, acrius urit
Quod sequitur, fugio. quod fugit ipse sequor.*

Idem lib. III. Amo.

*Nitimur inuictum semper, cupimusq; negat a,
Sic interdictis imminet æger aquis.*

Idem Ibidem.

*Quicquid seruatur, cupimus magis, ipsaq; furena
Præda uocat.*

Catullus.

*Odi & Amo, quare id faciam fortasse requiris
Nescio, sed fieri sentio, & excrucior.*

Ouidius li. VII Meta.

Aliudq; Cupido

*Mens aliud suadet, uideo meliora, proboq;
Deteriora sequor.*

Horati lib. II. Episto.

*Discit enim citius, meminitq; libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat, & ueneratur*

Ouidius lib. I. de Arte.

*Nil nisi turpe iuuat, curæ est sua cuiq; uoluptas
Hæc quoq; ab alterius grata dolore uenit.*

VARIA HOMINVM
INGENIA.

Ouidius

Ouidius lib. I. de Arte.

*Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ.
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.*

Horati. lib. II. Epistola.

*Deniq; non eadem omnes mirantur, amantq;
Carminē tu gaudes, hic delectatur Iambis,
Ille Bioneis sermonibus & sale nigro
Tres mihi conuiuæ prope dissentire uidentur
Poscenteis uario multum diuersa palato.*

Horati. lib. II. Sermo.

*Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem,
Pugnis, Quot capitum uiuunt, totidem studiorum
Millia.*

Persius Saty. V.

*Mille hominum species, & rerum discolor usus,
Velle suum cuiq; est, nec uoto uiuitur uno,
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini
Hic satur irriguo mauult turgescere somno,
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem putris.*

Propertius lib. III.

*Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis,
Naturæ sequitur, semina quisq; suæ.*

Virgilius Eglo. II.

C ij

Trahis

Trahit sua quenq; Voluptas.

Terentius in Phormi.

Quot homines, tot sententiae, suus cuiq; mos.

VARIA DONA HOMINVM
nec omnia uni concessa.

Claudianus Panegy. in laudes.
Stilico.

*etenim mortalibus ex quo
Tellus cepta coli, nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa uiro, quem uultus honestat,
Dedecorant mores, animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit. Bellis insignior ille,
Sed pacem foedat uitij, hic publica foelix
Sed priuata domus, partitum singula quemq;
Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas, illum solertia iuris,
Hunc soboles, castiq; tori.*

GENVS HVMANVM QVALE
& unde, eiusq; excellentia.

Manilius lib. III.

*An dubium est habitare deum sub pectore nostro?
In caelumq; redire animas caeloq; uenire?
Ex elemen- Utq; sit ex omni constructus corpore mundus
us constare Aetheris atq; ignis summi terraeq; marisq;
mundum. Spiritum & in toto rapidum qui iussa gubernat*

Sic

Sic esse in nobis terrenæ corpora sortis
 Sanguineasq; animas animi, qui cuncta gubernat
 Dispensatq; hominem quid mirum noscere mundum,
 Si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis
 Exemplumq; dei quisq; est, & in imagine parua.
 An quoq; genitos nisi cælo credere fas est
 Esse homines. Proiecta iacent animalia cuncta
 In terra, uel mersa uadis uel in aere pendent.
 Omnibus una quies, uenter sensusq; per artus,
 Et quia consilium non est, & lingua remissa.
 Vnus & inspectus rerum, uiresq; loquendi,
 Ingeniumq; capax, uarias educit in arteis
 Hic partus, qui cuncta regit, secessit in orbem
 Et domuit terram ad fruges, animalia cœpit
 Imposuitq; uiam ponto, stetit unus in arce.
 Erectus capitis, uictorq; ad sydera mittit
 Sydereos oculos propiusq; aspectat olympum
 Inquiratq; Iouem, nec sola fronte deorum
 Contentus manet, & cœlum scrutatur in alto,
 Cognatumq; sequens corpus se quærit in astris.

MISERA HOMINVM
 uita & omnia caduca
 ac fragilia.

Ouidi. III. Metamor.

Scilicet ultima semper
 Expectanda dies homini est, diciq; beatus
 Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

C iij

Idem

μικροκοσμος.
 Homo dei
 imago.
 Hominum
 & bestiarum
 discrimen.

Idem lib. VI. Meta.

*Pro superi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent.*

Cornel. Gal.

*O quam dura premit miseros conditio uitæ,
Nec mors humano subiacet arbitrio.
Dulce mori miseris, sed mors optata recedit,
At cum tristis erit præcipitata uenit.*

Iuuenalis Saty. X.

*Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.*

Publius Mim.

Nescis quid optes, aut quid fugias, ita ludit dies.

Horatius lib. II. Carmi.

*Quid quisq; uitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas,
Sed improuisa leti
Vis rapuit, rapietq; gentes.*

Ouidius lib. III. de Ponto.

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ ualere ruunt.*

Virgilius lib. I. Georg.

*Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.*

Virgilius lib. III. Georg.

Optima

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui
 Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus
 Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Optima præ
 mo perire.

Ovidius lib. II. Amo.

Optima prima serè manibus rapiuntur auaris
 Implentur numeris deteriora suis.

Plautus.

Nulli est homini perpetuum bonum.

Idem in Cistella.

Vt sunt humana, nihil est perpetuum datum.

Manilius lib. I. Astrono.

Omnia mortali mutantur lege creata,
 Nec se cognoscunt terræ uertentibus annis
 Exutas uariam faciem per sæcula gentes.

Omnia mu-
 tari.

Horatius lib. III. Carmi. Ode. VII.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,
 Arboribusq; comæ.

Mutat terra uices, & decrescientia ripas
 Flumina prætereunt.

Gratia cum Nymphis, geminisq; sororibus aude
 Ducere nuda choros.

Immortalia ne speres monet annus, & alnum
 Quæ rapit hora diem.

Frigora mitescunt Zephyris, uer proterit æstas
 Interitura simul,

C iiij

Pomifer

Quatuor Pomifer Autumnus fruges effuderit, & mox
anni tem- Bruma recurrit iners.
pestates. Damna tamen celeres reparant coelestia lunæ.
Nos ubi decidimus.

Quo pius Aeneas, quo Tullus diues, & Ancus,
Puluis, & umbra sumus.

Quis scit an adijciant hodiernæ crastina summæ
Tempora dii superi?

Cuncta manus auidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo.

Mors.

Cum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria,

Non Torquate genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Infernis neq; enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.

Nec lethæa ualet Theseus abrumpere caro
Vincula Perithoo.

Martialis lib. II.

Frangere toros, pete uina, rosas cape, tingere nardo
Ipse iubet mortis te meminisse deus.

Lucretius libro II.

O miseras hominum mentes, o pectora cæca,
Qualibus in tenebris uitæ, quantisque periculis
Degitur hoc æui, quodcumque est.

Lucretius libro V.

Tum porro puer, ut seuis proiectus ab undis

Nauita,

Nauita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
 Vitali auxilio cum primum in luminis oras
 Nixibus ex aluo matris natura profudit
 Vagituq; locum lugubri complet ut æquum est
 Cui tantum in uita restet transire malorum.
 At uariæ crescunt pecudes, armenta, feræq;
 Nec crepitacillis opus est, nec cuiquam adhibenda est
 Almæ nutricis blanda, atq; infracta loquela.
 Nec uarias quæerunt uesteis pro tempore cœli.
 Deniq; non armis opus est, non mœnibus altis
 Quæis sua tutentur, quando omnibus omnia large
 Tellus ipsa parit, naturaq; dædala rerum.

Perfius Saty. III.

Disciteq; o miseri, et caussas cognoscite rerum,
 Quid sumus, aut quid nam uicturi gignimur, ordo
 Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, et unde.
 Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
 Vtile nummus habet, patriæ, charisq; propinquis
 Quantum elargiri deceat, quem te deus esse
 Iussit, et humana qua parte locatus es in re,
 Disce.

AVSONII EGLOGA
de uita humana.

Quod uitæ sectabor iter? Si plena tumultu
 Sunt fora? Si curis domus anxia? Si peregrinos
 Cura domos sequitur? Mercantem si noua semper
 Damna manent? cessare uetat si turpis egestas?

C v

Si uexat

Si uexat labor agricolam? mare naufragus horror
 Infamat, pœnæq; graues in cœlibe uita.
 Et grauior cautis custodia uana maritis.
 Sanguineum si Martis opus? Si turpia lucra
 Fœnoris & uelox inopes usura trucidat?
 Omne æuum curæ, cunctis sua displicet ætas.
 Sensus abest paruis lactantibus, & puerorum
 Dura rudimenta, & iuuenum temeraria pubes.
 Afflicta fortuna uiros per bella, per æquor,
 Iras, insidiasq; catenatosq; labores,
 Mutandos semper, grauioribus, ipsa senectus
 Expectata diu uotisq; optata malignis
 Obijcit innumeris corpus lacerabile morbis.
 Spernimus in commune omnes præsentia, Quosdam
 Constat nolle deos fieri, Iuturna reclamatione
 Quo uitam dedit æternam? Cur mortis adempta est
 Conditio? Sic Caucaſea sub rupe Prometheus
 Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
 Incusare Iouem, data sit q; uita perennis.
 Respice & ad cultus animi. Sic nempe pudicum
 Perdidit Hippolytum non foelix cura pudoris.
 At contra illecebris maculosam ducere uitam
 Quem iuuat? aspice & ad pœnas & crimina regum,
 Tercos incesti, uel mollis Sardanapali.
 Perfidiam uitare monent tria Punica bella,
 Sed prohibet seruare fidem deleta Sagunthos.
 Viue & amicitias semper cole, crimen ob istud
 Pythagoreorum perijt schola docta sophorum.

Hoc metua

Hoc metuens igitur nullas cole, crimen ob istud
 Timon Palladijs olim lapidatus Athenis.
 Dissidet ambiguus semper mens obuia uotis.
 Nec uoluisse homini satis est, optata recusant
 Esse in honore placet, mox pœnitet, & dominari
 Ut possint, seruire uolunt, idem auctus honore
 Inuidiæ obijcitur. Pernox est cura disertis,
 Sed rudis ornata uitæ caret. Esto patronus,
 Et defende reos sed gratia rara clientis.
 Esto cliens, grauis imperij persona patroni.
 Exterrent hunc uota patrum, mox aspera curis
 Sollicitudo subit, contemnitur ora senectus.
 Et captatoris præda est hæredis egenus.
 Vitam parcus agas, auidi lacerabere fama.
 Et largitorem grauius censura notabit.
 Cuncta tibi aduersis contraria casibus. Ergo
 Optima Graiorum sententia. quippe homini aiunt,
 Non nasci esse bonum. natum aut cito morte potiri.

Nemo sua
 sorte con-
 tentus.

NATURA ET INGENIUM
 hominum & quanta sit ipsorum
 inter se atrocitas

Iuuenalis Saty. XV.

Mollissima corda

Humano generi dare se natura fatetur,
 Quæ lachrymas dedit, hæc nostri pars optima sensus,
 Plorare ergo iubet causam lugentis amici,
 Squaloremq; rei, pupillum ad iura uocantem

Misericor=
 dia.

Circum=

Circumscriptorem, cuius manantia fletu
 Ora puellares faciunt incerta capilli.
 Naturæ imperio geminus cum funus adultæ
 Virginis occurrit, uel terra clauditur infans,
 Et minor igne rogi, quis enim bonus aut face dignus
 Arcana, qualem Cereris uult esse sacerdos,
 Vlla aliena sibi credant mala? separat hæc nos
 A grege mutorum, atq; ideo uenerabile soli
 Sortiti ingenium, diuinorumq; capaces,
 Atq; exercendis, capiendisq; artibus apti,
 Sensus à cœlesti demissum traximus arce,
 Cuius egent prona, & terram spectantia mundi.
 Principio indulsit communis conditor illis
 Tantum animas, nobis animum quoq; mutuis ut nos
 Affectus petere auxilium, & præstare iuberet,
 Dispersos trahere in populum, & migrare uetusto
 De nemore, & proauis habitatas linquere sylvas,
 Aedificare domos, laribus coniungere nostris
 Tectum aliud, tutos uicino limine somnos
 Ut collata daret fiducia, protegere armis
 Lapsam, aut ingenti nutantem uulnere ciuem,
 Communi dare signa tuba, defendere iisdem
 Turribus, atq; una portarum claue teneri.
 Sed iam serpentum maior concordia, parcit
 Cognatis maculis similis fera, quando leoni
 Fortior eripuit uitam leo? quo nemore unquam
 Expirauit aper maioris dentibus apri?
 Indica Tigris agit rabida cum Trigide pacem
 Perpetuam

Hominum
 & bestia-
 rum discri-
 men.

Humane
 naturæ ex-
 cellentia.

Perpetuam, seuis inter se conuenit urfis.
 Ast homini ferrum letale incude nefanda
 Produxisse parum est, cum rastra, & sarcula tantum
 Assueti coquere, & marris, uomere lassī
 Nescierint primi gladios excudere fabri.
 Aspiciamus populos, quorum non sufficit iræ
 Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, uultum
 Crediderint genus esse cibi, quid diceret ergo,
 Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra uideret
 Pythagoras ? cunctis animalibus abstinuit qui
 Tanquam homine, & uentri indulsit nō omne legumē.

INGENIUM

Plautus in Captiuis

Sæpe summa ingenia in occulto latent.

Martialis libro VIII.

*Aurum & opes, & rura frequens donauit amicis
 Qui uelit ingenio cedere rarus erit.*

ARTES. LITERAE.

Ouidius libro I. de ponto

*Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
 Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.*

Idem libro II. de ponto.

Artibus ingenuis quæsitæ est gloria multis.

Idem libro II. de Ponto.

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes

Emollit

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Idem lib. II. de arte

*Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit & linguas edidicisse duas.*

Idem.

*Si latet ars prodest, adfert deprehensa pudorem
Atq; adimit merito tempus in omne fidem.*

Ouidi. lib. III. de Arte.

*Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et studio mores conuenienter cunt.*

Idem.

*Siue abeunt studia in mores artesq; magistras
Ingenium nobis molle Thalia dedit.*

Propertius.

Non datur ad musas, currere lata uia

ARTIVM ET PHILOSOPHIAE
uis & usus.

Horati lib. I. Epistola.

*Feruet auaritia, miseraq; cupidine pectus,
Sunt uerba & uoces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes, sunt certa piacula, quæ te,
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, uinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit*

Si modo

Si modo culturae patientem commodet aurem,

Perfius Saty. V.

*Petite hinc iuuenesq; senesq;
Finem animo certum, miserisq; uiatica canis.*

Ouidius. li. V. Tristi. Ele. I.

*Quot frutices syluae, quot flauas Tybris auenas
Mollia quot Martis gramina campus habet
Tot mala pertulimus, quorum medicina, quiesq;
Nulla, nisi in studio est, picridumq; mora.*

LECTIO.

Horati. lib. I. Epistola.

*Inter cuncta leges, & percontabere doctos
Qua ratione queas traducere leniter æuum,
Ne te semper inops agitet, uexetq; cupido,
Ne pauor, & rerum mediocriter utilium spes
Virtutem doctrina paret, natura ne donet
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum
Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter, & fallentis semita uitæ.*

AVSONII AD NEPOTEM PRO
trepticon, de studio puerili.

*Sunt etiam mæsis sua ludicra, mixta camœnis
Ociâ sunt mellite nepos, nec semper acerbi
Exercet pueros uox imperiosa magistri.
Sed requies, studijsq; uices rara tempora seruant.*

Et satis

Et satis est puero memori legisse libenter,
Et cessare licet, græco schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur ut otia musis.
Quo magis alternum certus succedere ludum
Disce libens, longum delentura laborem
Interualla damnus, studium puerile fatiscit,
Læta nisi austeris uariantur festa profestis.
Disce libens, tetrici nec præceptoris habenas
Detestere nepos, nunquam horrida forma magistri.
Ille licet tristis senio, nec uoce serenus
Aspera contractæ minitetur iurgia frontis,
Nunquam immanis erit, placet assuetudine uultus,
Qui semel imbuerit, rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem. Pappos auiasq; trementes
Anteferunt patribus seri noua cura nepotes.
Sic neq; Peliden terrebat Achillea Chiron
Thessalico permixtus equo, nec Pinifer Atlas
Amphitryoniaden puerum, sed blandus uterq;
Mitibus alloquijs teneros mulcebat alumnos.
Tu quoq; ne metuas, quanuis schola uerbere multo
Increpet & truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit, at tibi consta
Intrepidus nec te clamor plagæq; sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis,
Quod sceptrum uibrat ferulæ, quod multa suppellex
Virgea, quod mollis scuticam prætexit aluta
Quod feruent trepido subsellia uestra tumultu.
Pompa loci & uani fugiatur scæna timoris.

Hæc olim

Hæc olim genitorq; tuus, genitrixq; secuti
 Securam placido mihi permulsere senectam.
 Tu senium quodcunq; super labentibus annis
 Fata dabunt, qui nomen aui geris indole prima
 Prime nepos, uel re, uel spe mihi porge fruendum
 Nunc ego te puerum, mox in iuuenilibus annis
 Iamq; uirum cernam, si fors ita iusserit, aut si
 Inuidia est, sperabo tamen, nec uota fatiscunt.
 Ut patris utq; mei non immemor ardua semper
 Præmia musarum capias facundus, & olim
 Hac gradiare uia qua nos præcessimus, & cui
 Proconsul genitor, præfectus auunculus instant.
 Perlege quodcunq; est memorabile, prima monebo,
 Perlege quodcunq; est memorabile. Et ut tibi profit,
 Conditor Iliados, & amabilis orsa Menandri
 Euoluenda tibi, tu flexu & acumine uocis
 Innumeros numeros doctis accentibus effer.
 Affectusq; impone legens, distinctio sensum
 Auget, & ignauis dant interualla uigorem.
 Ecquando ista meæ contingent dona senectæ?
 Quando oblita mihi tot carmina. totq; per æuum
 Connexa historiæ soccos aulæaq; regum,
 Et Melicos Lyricosq; modos præfando nouabis?
 Obductosq; seni facies puera scere sensus?
 Te præeunte nepos modulata poemata Flacci,
 Altisonumq; iterum fas est didicisse Maronem.
 Tu quoq; qui Latium lecto sermone Terenti
 Comis & astricto percurris pulpita socco,

D

Ad nos

Ad noua uix memorem diuerbia coge senectam.
Iam facinus Catilina tuum, Lepidiq; tumultum
Ab Lepido & Catulo iam res & tempora Romæ
Orsus bisseuos seriem connecto per annos.
Iam lego ciuili mixtum mauorte duellum,
Mouit quod socio Sertorius exul Ibero,
Nec rudis hoc auus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus multos lactantibus annis
Ipse alui, gremioq; fouens & murmura soluens
Eripui tenerum blandis nutricibus æuam.
Mox pueros molli monitu & formidine leni
Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
Capturi dulcem fructum radicis amaræ
Idem uesticipes motu iam puberis æui,
Ad mores artesq; bonas fandi; uigorem
Produxim, quanquam imperium ceruice negarent
Ferre, nec insertis præberent ora lupatis.
Ardua temperies, dura experientia, rarus
Euentus, longo rerum spectatus ab-usu,
Ut regat indocilem mitis censura iuuentam.
Quæ tolerata mihi donec iam ærumna iuuaret,
Leniretq; usum bona consuetudo laborum
Donec ad Augustæ pia munera disciplinæ
Accirer, uarioq; accingerer auctus honore,
Aurea cum parere mihi pallatia iussim.
Absistat Nemesis, ferat & Fortuna iocantem.
Præscdi imperio, dum prætextatus in ostro
Et sceptro & solio sibi præfert iura magistri,
Maioresq;

Maioresq; putat nostros Augustus honores.
 Quos mox sublimi maturus protulit auctu,
 Quæstor ut Augustus patri natoq; crearer,
 Ut præfecturam duplicem, sellamq; curulem,
 Ut trabeam, pictamq; togam, mea præmia, consul
 Induerer, Fastisq; meis prælatus haberer.
 His ego quæsiui meritum quam grande nepoti
 Consul auus, lumenq; tuæ prælucco uitæ
 Quamuis & patrio iamdudum nomine clarus,
 Posses ornatus, posses oneratus haberi.
 Accessit tamen ex nobis honor inclytus, hunc tu
 Effice, ne sit onus, per te ut connixus in altum
 Conscendas, speresq; tuos te consule fasces.

EMVLATIO.

Ouidius lib. III. Amo.

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit
 Cum quos prætereat, quosue sequatur habet.

STYLVS.

Horatius lib. I. Episto.

Sæpe stylum uertas, iterum quæ digna legi sint,
 Scripturus, neq; te ut miretur turba labores,
 Contentus paucis lectoribus.

Idem.

Nec tamen emendo, labor hic quam scribere maior

EMENDATIO.

D ij

Ouidius

sq;



Ouidius lib. III. de Ponto Ele. IX.
Sæpe piget quid enim dubitem tibi uera fateri
Corrigere, & longi ferre laboris onus.
Scribentem iuuat ipse labor, minuitq; dolorem,
Cumq; suo crescens pectore feruet opus.
Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho maior Homerus erat

EXPERIENTIA.

Manilius lib. I.

Rer uarios usus artem experientia fecit
Exemplo monstrante uiam,

Publius Mi.

Discipulus est prioris posterior dies.

ELOQVENTIA ET EIUS VIS.

Virgilius lib. I. Aeneidos.

Ac uelut in magno populo cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus
Iamq; faces, & saxa uolant, furor arma ministrat.
Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet,

Tibullus lib. III.

Nam seu diuersi fræmat inconstantia uulgi,
Non alius sedare queat, seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere uerbis.

Ouidius

Ouidius II. Tristi.

*Discitur, innocuas ut agat, facundia, caussas,
Protegit hæc fontes, immeritosq; premit.*

Publius Mi.

Comes facundus, in uia pro uehiculo est.

CARMINA ET INGENII
monumenta immortalia.

Tibullus lib. I.

Hæu, male nunc artes miseras hæc sæcula tractans

Iam tener assuevit munera uelle puer.

Pieridas pueri, doctos & amate poetas

Aurea nec superent munera pieridas,

Carminè purpurea est Nisi coma, carmina ni sint,

Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

Quem referent Musæ, uiuet, dum robora tellus,

Dum coelum stellas, dum uehit amnis aquas.

Horatius lib. III. Carmi.

Dignum laude uirum, musa uetat mori

Ouidius lib. III. de Ponto.

Carminè fit uiuax uirtus expersq; sepulchris

Notitiam seræ posteritatis habet.

Tabida consumit ferrum lapidemq; uetustas

Nullaq; res maius tempore robur habet

Scripta ferunt annos, scriptis Agamennona nosti

Et quisquis contra uel simul arma tulit

Propertius lib. III.

D ij

Nano

Nam neq; Pyramidum sumptus ad sydera ducti,
Nec Iouis Elei coelum imitata domus,
Nec Mausolei diues fortuna sepulchri
Mortis ab extrema conditione uacat,
Aut illis flammæ, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera uicta ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab æuo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

Horatius lib II Epistola.

Carmine dii superi placantur, carmine Manes.

Ouidius lib. III. Tristi.

Singula quid referam nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingenijq; bonis

Idem lib I. Amo. Eleg X.

Scinduntur uestes, gemmæ franguntur & aurum
Carmina quam tribuent fama perennis erit.

Idem eo lib. Elegi. XV.

Viuet Mæonides, Tenedos dum stabit, & Ide
Dum rapidas Simois in mare uoluet aquas
Viuet & Ascræus, dum mustis uua tumebit,
Dum cadet incurua falce resecta Ceres.
Battiades toto semper cantabitur orbe,
Quamuis ingenio non ualet, arte ualet.
Nulla Sophocleo ueniet iactura cothurno.
Cum sole, & luna semper Aratus erit.
Dum fallax seruus, durus pater, improba lena

Viuet,

Viuet, dum meretrix blanda, Menandrus erit.
 Ennius arte carens, animosiq; Accius oris,
 Casurum nullo tempore nomen habent.
 Varronem, primamq; ratem quæ nesciet ætas?
 Aureaq; æsonio terga petita duci?
 Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
 Exitio terras cum dabit una dies.
 Tityrus, & segetes, ænciaq; arma legentur,
 Roma triumphati dum caput orbis erit.
 Donec erunt ignes, arcusq; Cupidinis arma,
 Discantur numeri culte Tibulle tui.
 Gallus, & hesperijs, & Gallus notus eojs,
 Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.
 Ergo cum silices, cum dens patientis aratri
 Depereant æuo, carmina morte carent.
 Cedant carminibus reges, regumq; triumphis,
 Cedat & auriferi ripa beata Tagi.
 Vilia miretur vulgus, mihi flauus Apollo
 Pocula Castalia plena ministret aqua.
 Sustineamq; coma metuentem frigora myrtum.
 Atq; ita sollicito multus amante legar.
 Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit,
 Tunc suus ex mirito quenq; tuetur honor.
 Ergo etiam, cum me supremus adusserit ignis,
 Viuam, parsq; mei magna superstes erit.

Inuidia.

P O E T A E.

Ouidius lib. III. Artis.

D iij

Quid

Quid petitur sacris nisi tantum fama poetis
Hoc uotum nostri summa laboris habet.
Cura ducum fuerant olim regumq; poetæ
Præmiaq; antiqui magna tulere chori,
Sanctaq; maiestas, & erat uenerabile nomen
Vatibus, & large sæpe dabantur opes,
Ennius emeruit Calabris in montibus hortos
Contiguus poni Scipio magne tibi.
Nunc hederæ sine honore iacent, operataq; doctis
Cura uigil Musis, nomen inertis habet.
Sed famam uigilare iuuat, quis nosset Homerum,
Ilias æthernum si latuisset opus.

Idem III. Amo.

At sacri uates & diuum cura uocamur,
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Idem VI. Fasto.

Est deus in nobis agitante calescimus illo
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Ouidius lib. III. de Arte.

Est deus in nobis, sunt & commertia cœli,
Scdibus æthereis spiritus ille uenit

Idem eo. lib. III. de Arte.

Adde quod insidiæ sacris à uatibus absunt
Et facit ad mores ars quoq; nostra bonos.
Nec nos ambitio, nec nos amor urget habendi
Contempto colitur lectus & umbra foro.

Idem

Idem. III. de Ponto Elegi. III.

Ista dei uox est, deus est in pectore nostro

Hoc duce prædico uaticinorq; deo.

Horatius lib. II. Episto.

Scribimus indocti, doctiq; poemata passim

Hic error tamen, & leuis hæc insania, quantas

Virtutes habeat, sic collige, uatis auarus

Non temere, est animus, uersus amat, hoc studet unum.

Detrimenta, fugas seruorum, incendia ridet,

Non fraudem socio, puero non cogitat ullam

Pupillo, uiuit siliquis, & pane secundo,

Militiæ quanquam piger & malus, utilis urbi.

Si das hoc, paruis quoq; rebus magna iuari

Os tenerum pueri, balbumq; poeta figurat

Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem,

Mox etiam pectus præceptis format amicis,

Recte facta refert, orientia tempora notis

Instruit exemplis, inopem solatur & ægrum.

Horatius lib. II. Episto.

At qui legitimum cupiet fecisse poema

Cum tabulis animum censoris sumet honesti,

Audebit quæcumq; parum splendoris habebunt,

Et sine pondere erunt & honore indigna ferentur,

Verba mouere loco, quamuis inuita recedant

Et uersentur adhuc intra penetralia Vestæ

Obscurata diu populo, bonus eruet atq;

Proferet in lucem speciosa uocabula rerum,

Quæ priscis memorata Catonibus atq; Cethegis,

D v

Nunc

Nunc situs informis premit, & deserta uetustas.
Adsciscet noua, quæ genitor produxerit usus,
Vehemens & liquidus, puroq; simillimus amni,
Fundet opes, Latiumq; beabit diuite lingua,
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Leuabit cultu, uirtute carentia tollet,
Ludentis speciem dabit, & torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem cyclopa mouetur.

PRAECEPTA QVALIA
esse debeant.

Horatius de arte poeti.

Quicquid præcipies esto breuis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

LIBERI QVOMODO EDV
candi, & exempla aliorum
quam uim ha
beant.

Iuuenalis Saty. XIII.

Nil dictu fædum, uisq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puella
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Et paulo infra.

Ergo miser trepidas, ne stercore fæda canimo

Atria

Atria displiceant oculis uenientis amici,
 Nec perfusa luto sit porticus, & tamen uno
 Semodio scobis hæc emendat seruulus unus.
 Illud non agitas, ut sanctam filius omni
 Aspiciat sine labe domum, uitioq; carentem?
 Gratum est, quod patriæ ciuem, populoq; dedisti,
 Si facis ut patriæ sit idoneus, utilis agris
 Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis
 Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus
 Moribus instituas, serpente ciconia pullos (hunc tu Educationis
 Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta, nis uis.
 Illi eadem sumptis quæerunt animalia pennis.

Idem eadem Saty.

Parcendum est teneris, nondum impleuere medullas
 Natiuæ mala nequitia, cum pectere barbam
 Cœperit, & longi mucronem admittere cultri
 Falsus erit testis, uendet periuria, summa
 Exigua, Cereris tangens aramq; pedemq;
 Elatam iam crede nurum, si limina uestra
 Mortifera cum dote subit, quibus illa premetur
 Fer somnum digitis? nam quæ terraq; mariq;
 Acquirenda putes, breuior uia conferet illi
 Nullus enim magni sceleris labor, hæc ego nunquam
 Mandauit dices olim, nec talia suasi,
 Mentis causam malæ tamen est, & origo penes te,
 Nam quisquis magni census præcepit amorem,
 Et leuomonu pueros producit auaros,
 Et qui per fraudes patrimonia conduplicare

Dat liber.

Licentia.

Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo, quem si reuoces subsistere nescit,
Et te contempto rapitur, metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas, adeo indulgent sibi latius ipsi.

Iuuenalis Saty. XIII.

Sic natura iubet, uelotius, & citius, nos
Corrumpunt uitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos authoribus, unus & alter
Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum uestigia ducunt
Et monstrata diu ueteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnis huiusce, etenim uel
Vna potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis

Natura ho
minum cor
rupta.

Turpibus ac prauis, omnes sumus, & Catilinam
Quocunq; in populo uideas, quocunq; sub axe,
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus usquam.

Plautus in Trinummo Actu. II.

Philito senex Lysiteles adolescens.
Quo illic homo se penetrauit ex ædibus? Ly.
Pater adsum,
Impera quid uis, neq; tibi ero in mora, neq;
Latebrose me abs tuo
Conspectu occultabo. Ph. Feceris par tuis cæteris
factis, patrem
Tuum si percoles per pietatem, nolo ego cum impro
bis te uiris Gnate

Gnate mi, neq; in uia, neq; in foro ullum sermonem
exequi.

Noui ego hoc seculum moribus quibus sit, malus bo-
num malum

Esse uult, ut sit sui similis, turbant, miscent mores ma-
li, rapax,

Auarus, inuidus, sacrum prophanum, publicum pri-
uatum habent.

Hiulca gens, hæc ego doleo, hæc sunt, quæ excruciant
Hæc dies, noctesq; tibi canto, ut caueas, quod manus
non queunt.

Tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant.

Cætera rape, trahere, fuge, late lachrimas, hæc mihi,
quom uideo,

Eliciunt, quia ego ad hoc genus hominum durauit
quim prius,

Me ad plureis penetraui, nam ij mores maiorum lau-
dant.

Eosdem latitant, hisce ego te artibus gratiam facio,
neu colas

Neu imbuas ingenium, meo modo, & moribus uiuito
antiquis

Quæ ego tibi præcipio, hæc facito, nihil ego istos mo-
ror fatuos

Mores, & turbidos, quibus boni dedecorant se, hæc
tibi, si mea

Imperia capeffes. multa bona in pectore confident.

Ly. Semper ego usq; ad hanc ætatem ab ineunte
adolescentia

Tuis

Tuis seruiui seruitutem imperijs, & præceptis pater.
Proin ego me liberum esse ratus sum, pro imperio tuo
Meū animum tibi seruitutem seruire æquom censui.

Ph. Qui homo cum animo inde ab ineunte depugnat
suo,

Vtrum id ita ne esse mauelit, ut cum animus æquom
censeat,

An ita potius, ut parenteis eum esse & cognati ue-
lunt?

Si animus hominem perpulit, actum est si animo ser-
uiuit, non sibi,

Si ipse animum perpulit, dum uiuit, uictor uictorum
cluct.

Tu si animum uicisti potius quam animus te, est quod
gaudeas.

Nimio satius tui opus est, te ita esse, quam ut animo
lubet.

Qui animum uincunt, quam quos animus, semper
probiores

Cluent. Lysite. istoc ego mihi semper habui, ætati
tegumentum

Meæ, ne penetrarem me usquam, ubi esset damni con-
ciliabulum,

Ne noctu irem obambulatum, ne suum adimerem
alteri.

Neu tibi ægritudinem pater parerem, parsi sedulo-
Sarta tecta, tua præcepta usque habui mea mode-
stia.

PH. Quid

PH. Quid exprobras, bene quod fecisti, tibi fecisti,
non mihi.

Mihi quidem ætas acta est, tua istuc refert maxime.
Is probus est, quem non pœnitet, quàm probus sit, et
frugi bonæ.

Benefacta bene factis alijs pertegito, ne perpluant.
Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae.

Plautus in Trinummo.

Semper tu hoc facito cogites

Id optimum esse, tute ut sis optumus, si id nequiueris
saltem ut,

Optumis sis proximus.

Terentius in Adel.

Hoc patrium est potius consuefacere filium

Sua sponte recte facere, quàm alieno metu.

Hoc pater ac dominus interest, hoc qui nequit,

Fateatur se nescire imperare liberis.

Idem ibidem.

Vt quisq; filium suum uult esse, ita est.

Horatius lib. I. Sermo.

Insuevit pater optimus hoc me,

Vt fugerem, exemplis uitiorum quæq; notando.

Cum me hortaretur parce, frugaliter, atq;

Viuerem uti contentus eo, quod mi ipse parasset.

Nonne uides Albi ut male uiuat filius? utq;

Barus inops: magnum documentum, ne patriam rem

Perdere quis uelit, A turpi meretricis amore

Exemplorum
uis

Cum

Cum deterreret, Sectani dissimilis sis.
 Ne sequerer mæchas, concessa cum Venere uti
 Possem, deprensi non bella est fama Treboni,
 Aiebat, sapiens uitatu, quidq; petitu
 Sit, melius causas reddet tibi, mi satis est, si
 Traditum ab antiquis morem seruare, tuamq;
 Dum custodis eges uitam famamq; tueri
 Incolumem possim, simul ac durauerit ætas
 Membra, animumq; tuum, nabis sine cortice, sic me
 Formabat puerum dictis, & siue iubebat
 Ut facerem quid, habes authorem, quo facias hoc
 Vnum ex iudicibus selectis obiciebat.
 Siue uetabat, an hoc inhonestum, & inutile factum
 Nec ne sit, addubites: flagret rumore malo cum
 Hic, atq; ille, auidos uicinum funus ut ægros
 Exanimat, mortisq; metu sibi parcere cogit,
 Sic teneros animos aliena obprobria sæpe
 Absterrant uitij.

Actus. I. Scena II.

Philolachês adolescens.

Recordatus multum, & diu cogitauit,
 Argumentaq; in pectus multa institui
 Ego, atq; in meo corde, si est quod mihi cor,
 Eam rem uolutauit & diu disputauit,
 Hominem quouis rei, quando natus est,
 Similem esse arbitrarer, simulacrumq; habere,
 Id repperi iam exemplum

NOUARUM

Nouarum ædium esse arbitror similem ego hominem,
 Quando hic natus est, ei rei argumenta dicam,
 Atq; hoc haud uidetur uerisimile uobis,
 At ego id faciam esse ita, ut credatis,
 Profecto ita esse, ut prædico, uero uincam,
 Atq; hoc uosmetipsi scio,
 Perinde uti nunc ego esse autumo, quando
 Dicta audietis mea, haud aliter id dicetis,
 Auscultate argumenta dum dico ad hanc rem,
 Simul gnarituros uolo esse hanc rem mecum.
 Aedes quom ex templo sunt paratæ, expolitæ,
 Factæ probe, examussim
 Laudant, fabrum, atq; aedes probant, sibi quisq;
 Inde exemplum expetunt sibi quisq; simile,
 Suo usq; sumptu, operæ ne parcunt suæ,
 Atq; ubi illo immigrat nequam homo indiligensq;
 Cum pigra familia immundus, instrenuus.
 Hic iam ædibus uitium additur
 Bonæ cum curantur male
 Atq; illud sæpe fit, tempestas uenit,
 Confringit tegulas, imbricesq; ibi
 Dominus indiligens reddere alias ne uolt
 Venit imber, lauit parietes, perpluunt
 Tigna, putrefacit aer oporam fabri,
 Nequior iam factus est usus ædium
 Atq; haud fabri culpa, sed magna pars
 Moram hæc induxerunt si quid nummo sarciri potest
 Usq; dum mantant, neq; id faciunt, donicum

E

Parietes

Parietes ruant, ædificantur ædes totæ denuo.
Hæc argumenta ego ædificijs dixi, Nunc etiam uolo
Dicere, ut homines ædium esse similes arbitremini.
Primum dum parentes fabri liberum sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum,
Extollunt, parant sedulo infirmitatem,
Et ut in usum boni, & in speciem populo
Sint, sibiq; aut materiæ ne parcunt,
Nec sumptus ibi sumptui esse ducunt,
Expoliunt, docent literas, iura & leges
Sumptu suo, & labore nituntur, ut
Alij sibi esse illorum similes expetant
Ad legionem quom itant, ad miniculum eis danunt
Tum aliquem cognatum suum
Eatenus abeunt à fabris
Vnum ubi meritum est stipendium. Igitur tum
Specimen cernitur, quo eueniat ædificatio.
Nam ego ad id frugi usq; & probus fui, in fabrorum
Potestate dum fui
Posteaquam immigrauit in ingenium meum
Perdidi operam fabrorum ilico, oppido
Venit ignauia, ea mihi tempestas fuit,
Ea mihi aduentu suo grandinem, imbremq; attulit,
Hæc uerecundiam mihi & uirtutis modum
Deturbauit. detexitq; me illico
Post illa obtigere eam negligens fui,
Continuo pro imbre amor aduenit in cor meum,
Is usq; in pectus permanauit, permadescit

Cor meum

Cor meum. Nunc simul res, fides, fama, uirtus,
 Decusq; deseruerunt, ego sum in usus
 Factus nimio nequior, atq; Edepol ita
 Hæc tigna humile putent, non uideor mihi
 Sarcire posse ædeis meas, quin totæ
 Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
 Perierint, nec quisquam esse auxilio queat,
 Cor dolet, quum scio nunc ut sum, atq; ut fui,
 Quo neq; industrius de iuuentute erat
 Arte Gymnastica, disco, hastis, pila,
 Cursu, armis, equo, uictitabam uolupte
 Parsimonia & duritia, disciplinæ alijs eram
 Optimi quiq; expetebant eam doctrinam sibi
 Nunc postquam nihili sum, id uero incopte ingenio
 repperi.

Ouidius.

Quæ prebet latas arbor spaciantibus umbras
 Quo posito est primum tempore uirga fuit
 Tunc poterat manibus summa tellure reuelli
 Nunc stat & immensum uiribus aucta suis

INSTITVTIO PRINCIPIS
 ex Claudiano de quarto Honorii
 Augusti consulatu.

Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset
 Chare puer, terrisq; procul uenerandus Eois
 Barbarus Arsacio consurgeret ore thiaras,
 Sufficeret sublime genus, luxq; fluentem

E ij

Deside

Deside, nobilitas posset te sola tueri
 Altera Romanæ longe rectoribus aulæ
 Conditio, uirtute decet non sanguine niti
Quæ uera nobilitas. Maior, & utilior factis coniuncta potenti
 Vile latens uirtus, quid enim submersa tenebris
Virtus. Proderit? obscuro ueluti sine remige puppis
 Vel lyra quæ reuicet, uel qui non tenditur arcus,
 Hanc tamen, haud quisquam qui non agnouerit ante
 Semet, & incertos animi placauerit æstus
 Inueniet, longis illuc ambagibus itur.
μικροκοσμος. Disce orbis quod quisq; sibi, quum conderet artus
 Nostros æthereis miscens terrena Prometheus
 Synceram patri mentem furatus olympo.
 Continuit claustris, indignantemq; reuinxit.
 Et quum non aliter possent mortalia fingi
 Adiunxit geminas, illæ cum corpore lapsæ
 Intereunt, hæc sola manet, bustoq; superstes
 Euolat, hanc alta capitis fundauit in arce
Ratio. Mandatricem operum, prospecturamq; labori.
 Illas inferius collo, præceptaq; summæ
 Passuras dominæ, digna statione locauit.
 Quippe opifex ueritus confundere sacra prophanis
 Distribuit partes animæ, sedesq; remouit
træ sedes. Iram sanguinei regio sub pectore cordis
 Protegit, imbutam flammis, auidamq; nocendi,
 Præcipitemq; sui, rabie succensa tumescit.
 Contrahitur stupefacta metu, quumq; omnia secum
 Duceret, & requiem membra uesana negaret,
 Inuenit

Inuenit pulmonis opem, madidumq; fluenti
 Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
 At sibi cuncta petens, nil collatura cupido
 In iecur, et tractus imos compulsa recessit.
 Quæ uelut immanes reserat dum bellua rictus
 Expleri, pasciq; nequit, nunc uerbere curas
 Torquet auaritiæ, stimulis nunc flagrat amorum,
 Nunc gaudet, nunc mœsta dolet, saciataq; rursus
 Exoritur, cæsaq; redit pollementius hydra.
 Hos igitur potuit siquis sedare tumultus
 Inconcussa dabit puræ sacraria menti.
 Tu licet extremos late dominere per Indos
 Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent.
 Si metuis, si parua cupis, si duceris ira,
 Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
 Interius leges, tunc omnia iure tenebis,
 Quum poteris rex esse tui, procliuior usus
 In peiora datur, suadetq; licentia luxum,
 Illecebrisq; effrena fauet, tunc uiuere caste
 Asperius, quum prompta Venus, tum durius iræ
 Consulimus, quum poena patet, sed comprime motus
 Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
 Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.
 Hoc te præterea crebro sermone monebo,
 Ut te totius medio telluris in orbe,
 Viuere cognoscas, cunctis tuagentibus esse
 Facta palam, nec posse dari regalibus usquam
 Secretum uitij, nam lux altissima fati

Auaritiæ se
des.

Quis liber

Licentia.

A

Principu
uitia co

Occultum spicua.

E ij

Occultum nil esse finit, latebrasq; per omnes
Intrat, & obstruosos explorat fama recessus.
R Sis pius in primis, nam cum uincamur in omni
Munere. sola deos æquat clementia nobis.
Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis,
Rumorume auidus, qui talia curat, inanes,
Horrebit strepitus, nulla non anxius hora.
Non sic excubiæ, nec circumstantia pila,
Quam tutatur amor, non extorquebis amari,
T Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.
Nonne uides operum qui se pulcherrimus ipse
Mundus amore ligat? nec ui connexa per æuum
Conspirant elementa sibi? qui limite Phœbus
B Contentus medio, contentus littore pontus,
Et qui perpetuo terras ambitq; uehitq;
Nec premat incumbens oneri, nec cesserit aer.
Qui terret, plus ipse timet, fors ista tyrannis
Conuenit, inuideant claris, fortesq; trucidant.
Muniti gladijs uiuant, septiq; uenenis
Ancipites habeant artes, trepidiq; minentur.
S Tu ciuem patremq; geras, tu consule cunctis
Nec tibi, nec tua te moueant, sed publica uota
In commune iubes siquid, censes tenendum,
P Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre uetat, quum uiderit ipsum
Auctorem parere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quam uita regentis.

Mobile

Mobile mutatur semper cum principe uulgus.
 His tamen effectis, nec fastidire minores,
 Neu pete prescriptos homini transcendere fines.
 Inquinat egregios adiuncta superbia mores.
 Non tibi tradidimus dociles seruire Sabæos
 Armeniæ dominum, nec te prescimus ore
 Nec damus Assyriam, tenuit quam fœmina, gentem.
 Romani, qui cuncta diu rexere, regendi
 Qui nec Tarquini fastus, nec iura tulere
 Cæsaris, annales ueterum delicta loquuntur.
 Herebant maculæ, quis non per sæcula damnat
 Cæsareæ portenta domus? quam dira Neronis
 Funera? quam rupes caprearum tetra latebit
 Incesto possessa seni? uictura feretur
 Gloria Traiani, non tam qui Trigide uicto
 Nostra triumphati fuerat prouincia Parthi.
 Alta quod inuectus fractis capitolia Dacis
 Quam patriæ quod mitis erat, nec desine tales
 Nate sequi, si bella tonant, prius agmina duris
 Exerce studijs, et sæuo præstrue Marti.
 Non brumæ requies, non hybernacula segnes
 Eneruent torpore manus, ponenda salubri
 Castra loco, præbenda uigil custodia uallo.
 Disce ubi densari cuneus, ubi cornua tendi
 Aequius, aut iterum flecti, quæ montibus apta,
 Quæ campis acies, fraudi quæ accommoda uallis
 Quæ uia difficilis, fudit si mœnibus hostis,
 Tum tibi murali, libretur machina pulsu,

Qualis
 princeps,
 talis popu-
 lus.

A

C

I

S

A

R

E iij

Saxa

T Saxa rotet præceps aries, prætectaq; portas
E Testudo feriat, ruat emersura iuuentus
S Effossi per operta soli, si longa moretur
B Obsidio, tum uota caue secura remittas,
E Inclusumue putes, multis damnosa fuere
L Gaudia, dispersi pereunt, somnoq; soluti
I Sæpius incautæ nocuit uictoria turbæ.
 Neu tibi regificis tentoria larga redundant
 Delicijs, non imbelles ad signa ministros
 Luxuries armata trahat, neu flantibus austris
 Neu pluuijs cædas, neu defensura calorem
 Aurea submoueant rapidos umbracula soles,
 Inuentis utare cibus, solabere partes
 Aequali sudore tuas, si collis iniquus
 Primus ini. syluam si cædere prouocât usus.
 Ne pudeat sumpta quercum strauisse bipenni,
 Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
 Prætentet sonipes, fluuios tu protere curru
 Hærentes glacie, liquido tu scinde natatu,
 Nunc eques in medias equitum te confere turmas
 Nunc pedes assiste pediti, tum promptius ibunt
 Te socio, tum conspicuus gratusq; geretur
 Sub te teste, labor.
 Interea Musis animus dum mollior instet,
 Et quæ mox imitere legas, nec desinat unquam
 Tecum graia loqui, tecum Romana uetustas
 Antiquos euolue duces, assuesce futuræ
 Militiæ, latium retro te confer in æuum,

Artes hu-
 mane et li-
 berales.

Libertas

Libertas quæ sita placet, mirabere Brutum,
 Perfidiâ damnas, Metij faciaberæ pœnis,
 Triste rigor nimius, Torquati despue mores,
 Mors impensa bonum, Decios uenerare ruentes,
 Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto
 Oppositus Cocles, Mutij te flamma docebit.
 Quid mora perfringat, Fabius. quid rebus in arctis
 Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.
 Discitur hinc, nullos meritis obsistere casus,
 Prorogat æternam feritas tibi punica famam
 Regule, successus superant aduersa Catonis,
 Discitur in quantum paupertas sobria possit,
 Pauper erat Curius, reges quum uinceret armis,
 Pauper Fabricius Pyrrhi cum sperneret aurum.
 Sordida Serranus flexit dictator aratra,
 Lustratæ lictore casæ, fascisque salignis
 Postibus affixit, collectæ consule messes,
 Et sulcata diu trabeato rura colono.

ALIENO PERICVLO SAPERE

Publius Mimus.

Bonum est, fugienda aspiciere alieno in malo

Terentius in *ἑξουτυτιμο*.

Ex alijs periculum facito, tibi quod ex usu fiet

Plautus.

Fœliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

Publius Mimus.

Ex uicio alterius sapiens emendat suum.

E ♡

Tibullus

Tibullus libro III. Elegi. VII.
Vos ego nunc moneo, foelix, quicumq; dolore
Alterius discas posse carere tuo.

OFFICIUM DISCIPULORVM.

Ouidius libro I. Artis.
Phyllirides puerum cytharæ præfecit Achillem
Atq; animos molli contudit arte feros,
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem,
Quas Hector sensurus erat poscente magistro,
Verberibus iussas præbuit ille manus.

Iuuenalis Saty. VII.
Dij maiorum umbris tenuem, & sine pondere terram
Spirantesq; Crocos, & in urna perpetuum uer,
Qui præceptorem sancti uoluere parentis
Esse loco, metuens uirgæ iam grandis Achilles
Cantabat patrijs in montibus.

OBLIUIO.

Plautus in Capti.
Mos obliuisci hominibus
Neq; nouisse, cuius nihili sit faciunda gratia
Publius Mim.
Iniuriarum remedium est obliuio.

MEMORIA.

Plautus in Pseudo.

Memorens

*Memorem immemorem facit qui monet, quod memor,
Memenit.*

ADHORTATIO,

Ovidius libro. II. de Ponto.

*Quæ tu cum præstes, remo tamen utar & auræ
Nil nocet admisso subdere calcar equo.*

Idem eo libro. de Ponto.

*Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris fortius ibit equus.*

Ovidius libro. V. Tristi.

*Qui monet ut facias, quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.*

Ovidius libro I. de remedi. Amo.

*Impaciens animus nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atq; odio uerba monentis habet.*

NIHIL SUPRA VIRES ET naturam tentandum.

Propertius libro III.

*Turpe est quod nequeas capiti committere pondus
Et pressum inflexo mox dare terga genu.*

*Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur ulla iugo.*

Horatius de arte Poeti.

Tu nihil inuita dices faciesue Miuerua

Idem ibidem.

Sumite materiam uestris qui scribitis æquam,

Viribus

Viribus, & uersate diu quid ferre recusent
Quid ualcant humeri.

Corneli. Gall.

Quod natura negat, reddere nemo potest.

Martialis.

Qui sua metitur pondera ferre potest.

NOSCE TE IPSVM.

Iuuenalis Saty. XI.

E caelo descendit γυνῶθι σεαυτὸν

Figendum, & memori tractandum pectore, siue
Coniugium quæras, uel sacri in parte senatus
Esse uelis.

Horatius libro I. Episto.

Metiri se quenq; suo modulo ac pede uerum est.

Perfius Saty. III.

Tecum habita, ut noris, quàm sit tibi curta suppellex

LABOR, VSUS, ASSIDVITAS

Virgilius libro I. Georgi.

labor omnia uincit

Improbis, & duris urgens in rebus egestas.

Terentius in Heau.

Nil tam difficile est quin quærendo inuestigari
possit.

Horatius de arte Poeti.

Qui studet optatam cursu contingere metam

Multa tulit, fecitq; puer, sudauit & alfit,

Abstinnit

Abstinet Venere, & uino.

Horatius libro I. Sermo.

Nil sine magno

Vita labore dedit mortalibus.

Tibullus.

Nec te poeniteat duros subiisse labores,

Aut operi insuetas attenuasse manus

Claudianus in nuptiis Honorii

Augusti & Mariae.

Non quisquam fruitur ueris odoribus

Hyblæos latebris nec spoliat fauos

Si fronti caueat, si timeat rubos.

Armat spina rosas, mella tegunt apes,

Idem.

Nec me quid ualeat natura fortior usus

Præterit, aut quantum neglectæ defluat arti

Desidis aurigæ non audit uerbera currus,

Nec manus agnoscit quem non exercuit arcum,

Ouidius.

Solus & artifices qui facit usus erit.

SVAE QVISQVAE FORTVAE

faber.

Ouidius VIII. Meta.

Sibi quisq; profecto

Est deus, ignauis precibus fortuna repugnat.

OTIVM, ANIMI RELAXATIO

Ouidius.

Ouidius libro I. de Ponto.

Ocia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis,
Immodicus contra carpit utrumq; labor.

Ouidius Epistola. III.

Quod caret alterna requie durabile non est,
Hec reparat vires fessaq; membra nouat.

OCIVM IGNAVVM.

Ouidi. lib. V. Tristi. Eleg. XII.

Adde quod ingenium longa rubigine lesum
Torpet, & est multo, quam fuit ante minus.

Fertilis, assiduo si non renouetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager.

Tempore qui longo steterit, male curret, & inter
Carceribus missos ultimus ibit equus,

Vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit,
Si qua diu solitis Cymba uacauit aquis.

Ouidius libro I. de Ponto.

Cernis ut ignauum corrumpant otia corpus
Ut capiant uitium ni moueantur aquae

Idem libro I. de Reme.

Ocia si tollas, periere Cupidinis arcus

Contemptaeq; iacent, & sine luce faces

Quam platanus riuo gaudet, quam populus unda,

Et quam limosa canna palustris humo,

Tam Venus ocia amat.

Horatius libro I. Epistola.

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati

Sponsa

Sponsi Penelopes, nebulones Alcinoiq;
 In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
 Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
 Ad strepitum Citharæ cessatum ducere curam.

Catullus.

Ocium Catulle tibi molestum est
 Ocio exultas nimiumq; gaudes,
 Ocium reges prius, & beatas
 Perdidit urbes.

Lucanus libro. III.

Variam semper dant ocia mentem

Plautus in Rudente

Nimis homo

Nihili est, qui piger est, nimisq; id genus odi male,
 uigilare

Decet hominē, qui uult sua tempore conficere officia.
 Non illum expectare oportet, dum herus se adsusciet
 tet officium

Nam qui dormiunt libenter, sine lucro & cum ma-
 lo requiescunt.

Terentius in Andria.

Ita ingenium est omnium

Hominum à labore procliue ad libidinem.

Publius Mim.

Arcum intensio frangit, animum remissio,

Ennius ut citatur à Gellio.

Ocio qui nescit uti, plus negocij habet,

Quàm cum est negocium in negotio.

Nam

Nam cui quod agat, institutum est, nullo negotio
Id agit, studet ibi, mentem atq; animum delectat suum
Ocioso in ocio animus nescit, quid uelit.

CURVA.

Ouidius libro III. Meta
Attenuant uigiles corpus miserabile curæ
Idem III. Fasto.
Sollicitæ mentes speq; metuq; pauent.

VOLUPTAS.

Plautus in Merca.
Voluptas est malorum esca.
Idem in Amphitry.
Ita quoq; comparatum
Est, in ætate hominum, ita dijs placitum, uoluptati ut
mæror,
Comes consequatur, quin incommodi plus, maliq;
ilico
Adsit, boni si obtigit quippiam.

Horatius lib. I. Epistola.
Sperne uoluptates, nocet empta dolore uoluptas.

Ouidius lib. VII. Meta.
Usq; adeo nulla est sincera uoluptas
Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.

Idem libro. VI. Fasto.
Scilicet interdum miscentur tristia lætis
Iuuenalis Saty. XI.

Voluptates

Voluptates commendat rarior usus.

CONTINENTIA.

Ovidius. Epistola. XVI.

Est uirtus placitis abstinuiffe bonis.

VINVM, EBRIETAS.

Horatius lib. I. Epistola.

*Quid non Ebrietas, designat operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in praelia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.*

*Fœcundi calices, quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?*

Ovidius lib. II. de Re. Amo.

*Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat, si qua est inter utrumq;, nocet.*

Ovidius lib. I. de arte Aman.

*Vina parant animos, faciuntq; coloribus aptos.
Cura fugit, multo diluiturq; mero.*

*Tunc ueniunt risus, tum pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaq; frontis abit.*

*Tunc aperit mentes æuo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente deo.*

Tibullus lib. I.

Ille liquor docuit uocis inflectere cantu

Mouit & ad certos nescia membra modos

Bacchus & agricolæ magno confecta labore

Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.

F

Bacchus

Bacchus & afflictis, requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.

Propertius libro II.

Vino forma perit, uino corrumpitur aetas.

VIRGILIUS SIVE QVISQVIS
est auctor de Venere &
Vino.

Nec Veneris nec tu Vini tenearis amore,
Vno namq; modo, Vina, Venusq; nocent.

Vt Venus, enervat vires, sic copia Bacchi,
Attenuat gressus, debilitatq; pedes.

Multos cæcus amor cogit secreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.

Bellum sæpe parit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma uocat.

Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello,
At Lapithas bello perdis Iacche graui.

Deniq; cum menteis hominum furiarit uterq;
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.

Compedibus Venerem, uinclis constringe Lyæum,
Ne te muneribus ledat uterq; suis.

Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Seruiat, hos fines transilijisse nocet.

SOBRIETAS.

Horatius lib. II. Sermo.

Accipe nunc victus tenuis quæ quantaq; secum

Afferas

Afferat, in primis ualeas bene, nam uarie res
 Ut noceant homini credas, memor illius escæ,
 Quæ simplex olim tibi sederit, at simul assis
 Mijcueris elixa, simul conchylia turdis,
 Dulcia se in bilem uertent, stomachoq; tumultum
 Lenta feret pituia, uides, ut pallidus omnis
 Cæna de surgat dubia? quin corpus onustum
 Hesternis uitijs, animum quoq; prægrauat una,
 Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.
 Alter ubi dicto citius, curata sopori
 Membra dedit, uegetus præscripta ad munia surgit,

Fames.

Descriptio Famis apud Ouidi.

lib. VIII. Meta.

Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris
 Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus.
 Frigus iners, illic habitant, Pallorq; Tremorq;
 Et ieiuna fames & cætera.

Et infra.

Quæsitamq; famem lapidoso uidit in antro,
 Vnguibus & raris uellentem dentibus herbas.
 Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
 Labra incana situ, scabri rubigine dentes,
 Dura cutis, per quam spectari uiscera possent,
 Ossa sub incuruis extabant arida lumbis.
 Ventris erat, pro uentre locus, pendere putares
 Pectus, & à spine tantummodo crate teneri.

F ij

Auxerat

*Auxerat articulos macies, genuumq; tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.*

L V X V S.

Lucanus libro III.

O prodiga rerum

*Luxuries nunquam paruo contenta paratu,
Et quæditorum terra, pelagoq; ciborum
Ambitiosa fames, & laudæ gloria mensæ,
Discite, quam paruo liceat producere uitam,
Et quantum natura petat.*

A M O R.

Propertius lib. II.

*Quicumq; ille fuit puerum qui pinxit amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum uidit sine sensu uiuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra uentosas addidit alas,
Fecit & humano corde uolare deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraq; non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroq; iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo uulnere sanus abit.*

Quidius libro I. de Reme.

Vtile propositum est seuas extinguere flammæ,

Nce

Nec seruum uitij pectus habere suum.

Ouidius libro II. Amo.

Nox & amor unumq; nihil moderabile suadent,

illa pudore uacat, Liber, amorq; metu

Militat omnis amans & habet sua castra cupido

Turpe senex miles, turpe senilis amor

Idem de Reme.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori,

Difficiles aditus impetus omnis habet

Idem.

Dum nauis est cepto potius pugnemus amore

Flamma recens parua sparsa resedit aqua

Idem.

Suecessore nouo uincitur omnis amans

Propertius lib. II.

Omnes humanos sanat medicina dolores.

Solus amor morbi non amat artificem.

Ouidius libro I. Meta.

Hei mihi quod nullis amor est medicabilis herbis

Ouidius.

Venit amor grauius quo serius urimur intus

Vrimur, & caecum pectora uulnus habent.

Propertius lib. II.

Non ita Carpathiae uariant Aquilonibus undae,

Nec dubio nubes uertitur atra Noto,

Quam facile irati uerbo mutantur amantes,

Dum licet iniusto subtrahere colla iugo

Catullus.

F iij

Difficile

Nec



Difficile est longum subito deponere amorem.

Propertius lib. II.

Errat qui finem uesani querit amoris,

Verus amor nullum nouit habere modum.

Idem ibidem.

Libertas quoniam iam nulli restat amanti,

Nullus liber erit, si quis amare uolet.

Idem ibidem.

Scilicet insano nemo in amore uidet.

Idem.

Turpis amor surdis auribus esse solet.

Ouidius lib. II. Meta.

*Non bene conueniunt, nec in una sede morantur
Maestas & amor.*

Ouidius lib. I. de Reme. Amo.

Ocia si tollas pericere cupidinis arcus

Contemptæq; iacent, & sine luce faces

Quam platanus uino gaudet, quam populus unda

Et quam limosa canna palustris humo.

Tam Venus ocia amat, finem qui queris amori,

Cedit amor rebus res age, tutus eris.

Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes,

Da uacuae menti, quo teneatur opus.

Queritur Aegysthus quare sit factus adulter,

In promptu caussa est, desidiosus erat.

Idem libro II. Reme.

Diuitijs alitur luxuriosus amor.

AMANTIS VITA

Ouidius.

Ovidius.

Fugerat ore color macies obduxerat artus

Sumebant minimos ora coacta cibos

Nec somni faciles & nox erat annua nobis

Et gemitum nullo læsa dolore dabam

Ovidius Epistola. I.

Res est solliciti plena timoris amor. Idem.

Attenuant iuuenum uigilatae corpora noctes

Curaq; & in magno qui fit in amore dolor

Terentius in Eunu.

Quæ res in se neq; consilium neq; modum

Habet ullum, eam consilio regere non potes,

In amore hæc omnia insunt uitia, iniuriæ,

Suspitiones, inimicitia, induciæ,

Bellum, pax rursus, incerta hæc si tu postules

Ratione certa facere, nihilo plus agas,

Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

Idem ibidem.

Sine Cerere & Libero friget Venus.

Plautus in Cistella.

Nanq; ecastor amor & melle & felle e foecundissimus

Gustum dat dulce, amarum ad facietatem usq; aggerit

Idem in Merca.

Nam amorem hæc cuncta uitia sectari solent

Cura, ægritudo, dolor, nimiaq; elegantia.

Hæc non illum modo qui amat, sed quenq; attigit,

Magno atq; solido mulctat infortunio.

Nec pol profecto quisq; sine grandi malo,

F iiij

Præterq;

Præterquam res patitur, studet elegantie.
Sed amori accedunt etiam ultra hæc, quæ diximus,
Insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Ineptia, stulticiaq; adeo, & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas, & malevolentia.
Inhæret etiam auiditas, desidia, iniuria,
Inopia, contumelia, & dispendium,

Plautus in Trinummo Actu. II.

Lysiteles adolescens.

Nunquam

Amor quenquam nisi cupidum hominem postulat, se
in plagas

Conijcere eos cupit, eos consecatur, subdole blandi-
tur, ab re

Consulit, blandiloquentulus, harpago, mendax, cupes,
auarus,

Elegans despoliator, latebricolarum hominum cor-
ruptor,

Blandus, inops, cælati indagator, nam quàm ad quod
clamat,

Quàm extemplo sæuis sagittis percussus est, illico res
foras

Labitur, liquitur, da mihi hoc, mel meum, si me amas,
si audis,

Ibi ille cuculos, ocelle mi, fiat & istuc, & si amplius
uis dari,

Dabitur, ibi illa pendentem ferit, iam amplius orat,
non sat

Id est

Id est mali, ni amplius etiam, quod bibit, quod comest,
 Quod facit sumpti. nox datur, ducitur familia tota,
 Vestispicij, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandalige-
 rula,

Cantrices, cistellatrices, nuncij, renuncij, raptores pa-
 nis & peni.

Fit, ipse dum illis comis est, inops amator, hæc ego
 quom ago cum

Meo animo, & recolo, ubi, qui eget, quam precij sit
 parui, apage te

Amor non places, nihil te utor, quanquam illud est
 dulce, esse & bibere

Amor amara dat, tibi satis, quod ægre sit, fugit forum

Fugat uos cognatos, fugat ipse se à suo contuitu.

Neq; enim eum sibi amicum uolunt dici, nulle modis
 amor

Ignorandus est, procul abigendus est, atq; abstinen-
 dum.

Nam qui in amore precipitauit, peius perit, quam si
 saxo saliat,

Apagesis amor, tuas res tibi habe, amor mihi amicus,
 ne fuas unquam,

Sunt tamen quos miseros, maleq; habeas, quos tibi ob-
 noxios

Eccisti, certu est ad frugem applicare animum, quam-
 quam ibi animo

Labos grandis capitur, boni sibi hæc expetunt, rem,
 fidem, honorem,

F

Gloriam,

*Gloriam, & gratiam, hoc probis pretium est, eo mihi
magis lubet*

Cum probis potius, q̄ cum improbis uiuere uanidicis.

Idem in Trinummo.

*Ita est amor, balista ut iacitur, nihil sic celere est, neq;
uolat*

*Atq; is, mores hominum moros, & morosos efficit,
Minus placet, magis quod suadetur, quod dissuadetur
placet,*

*Quom inopia est, cupias, quando eius copia, tum non
uelis,*

*Ille qui aspellit, is compellit, ille qui non suadet, uetat,
Insanum est, & malum, in hospitium deuerti ad cupia-
dinem.*

Publius Mim.

Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur

Idem.

Amare & sapere, uix deo conceditur

Propertius libro. II. Eleg. XVIII.

Durius in terris nihil est quod uiuat amante

Nec, modo si sapias, quod minus esse uelis.

Tibullus.

Obsequio plurima uincit amor

Propertius lib II.

Expertus dico nemo est in amore fidelis

Ouidius libro III. Meta.

Quoq; magis tegitur, tectus, magis aestuat ignis.

Idem

Idem in Epistol.

Quis enim bene celat amorem?

Eminet inditio prodita flamma suo.

Idem.

Sed male dissimulo, quis enim celauerit ignem?

Lumme qui semper, proditur ipse suo.

Idem.

Sæpe meam uolui flammam compescere, at illa

Creuit & ebrietas, ignis in igne fuit

Qua licet & possum luctor celare furorem

Sed tamen apparet dissimulatus amor

Virgilius Eglog. I.

Omnia uincit amor & nos cedamus amori

MERETRIX.

Plautus in Trucu. Actu. II.

Astaphium ancilla.

Bonis esse oportet dentibus lenam probam,

*Arridere quisquis ueniat, blandeq; alloqui, male
corde*

*Consultare, bene loqui lingua, meretricem esse similem
sentis condecet,*

*Quenquam hominem attigerit, profecto aut malum
aut damnum*

*Dari, nunquam amatoris meretricem oportet causam
noscere,*

*Quin ubi nihil det, pro infrequente cum mittas militiam
domum.*

Nec un.

Nec unquam quisq̄ probus erit amator, nisi qui rei
Inimicu^m st suæ, nugæ sunt, nisi quod modo cum dederit
Dare iam iubeat denuo, is amatur hic apud nos, qui
quod dedit,

Iocatur datū, dum habeat, tum amet, ubi nihil habeat,
Alium questum capiat, æquo animo ipse, si nil habeat,
Alijs qui habent, det locum. probus est amator, qui
Relictis rebus rem perdit suam.

Ovidius.

Stat meretrix certo quouis mercabilis ære
Et miseras iusto corpore quærit opes.

MVLIER.

Publius Mi.

Aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium.

MVLIER BONA.

Plautus in Stych.

Antipho pater

Vbi facillime spectatur mulier, quæ ingenio est bono?

Panegy. filia.

Quoi malefaciundi est potestas, quæ ne faciat, id
temperat.

Anti pater.

Haud male isthuc, age tu altera, utra sit conditio pen-
sior,

Virginem an uiduam habere? PINA. Quanta mea
sapientia est,

E malis

E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.

Qui potest mulieres vitare, vitet, ut quotidie Pridie caueat, ne faciat, quod se pigeat postridie.

Anti.

Quæ tibi mulier videtur multo sapientissima? Pane.

Quæ tum, quom res secundæ sunt, se poterit noscere, Et quæ æquo animo patietur, sibi esse peius, quàm fuit Bias Prie. per Ausoni.

Quæ dos matronis pulcherrima: uita pudica.

FOEMINA MALA MULIER, ET inconstantia foeminarum.

Plautus in Trucu.

Male quod mulier incepit, nisi efficere perpetrat, Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miseræ miseria est.

Si benefacere incepit, eius eam cito odium percipit. Nimisq; pauca sunt defesse, male quæ facere occeperint

Nimisq; paucaq; efficiunt, si quid occeperint benefacere,

Mulier nimio malefacere melius est onus, quàm bene. Iuuenalis Saty. VI.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil, Cum uirides gemmas collo circumdedit, & cum Auribus extensis magnos commisit Elenchos. Intolerabilius nihil est, quàm foemina diues.

Propertius
S. m. r. a. Quisq; in turpe obire.
Apulianorum, ut in ueteri f. Q. blaudius. d. d. l. a. m. u. i. n. i. e.
m. a. h. i. S. u. o. n. a. s. o. r. f. a. n. o. q. s. u. b. h. e. f. e. g. n. i.
D. e. s. i. n. i. M. o. n. u. m. s. e. s. t. a. n. t. i. u. r. u. l. a. b. i. n. i. s. q. u. i. h. a. n. t. i. n. o. m. i. n. i. a. l. i. a.
q. u. i. n. d. o. r. a. p. t. i. s. f. e. l. i. c. i. t.



Propertius libro. II.

Sed uobis facile est uerba, & componere fraudes,

Hoc unum didicit foemina semper opus.

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,

Nec folia hyberno tam tremefacta Noto,

Quam cito foeminea non constat foedus in ira,

Siue ea caussa grauis, siue ea caussa leuis.

Ouidius libro II.

Verba puellarum folijs leuiora caducis

Irritaq; ut uisum est, uentus & unda ferunt.

Propertius libro II.

Nulla diu foemina pondus habet.

Virgilius libro III. Aeneidos.

Varium & mutabile semper

Foemina.

Plautus in Rudente.

Tacita bona est mulier semper, quam loquens.

Idem in Penulo.

Negocij sibi qui uolet uim comparare, nauem &
mulierem, haec duo

Comparato, Nam nullae magis res duae plus negocij
habent

Forte si occeperis exornare, neq; unquam haec duae res
satis ornantur

Neq; eius ulla ornandi satis facietas est

Publius Mi.

Malo in consilio, foeminae uincunt uiros.

Ouidius de Reme.

Noue

*Nec puellarum lachrimis mouere caueto
Vt flerent oculos erudiere suos.*

MVLIER DOTATA.
Plautus in Asino.

*Argentum accepi dote, imperium uendidi.
Idem in Aulula.*

*Que indotata est, ea in potestate est uiri,
Dotatae mactant, & malo & damno uiros.*

Idem, ibidem.

Dum modo morata recte ueniat, dotata est satis.

DE MVNDICIA ET ELEGAN-
tia ciuilitateq; morum
ex Ouidio.

*Mundicie placeant, fuscantur corpora campo,
Sit bene conueniens, & sine labe toga.*

Linguaq; nec rigeat, careant rubigine dentes.

Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.

Quid si praecipiam, ne fuscet inertia dentes,

Oraq; suscepta mane lauentur aqua?

Nec male deformet rigidos tonsura capillos,

Sit coma, sit docta barba resecta manu.

Et nihil emineat, & sint sine sordibus ungues

Inq; caua nullis stet tibi nare pilus.

Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,

Nec laedat nares uirq; paterq; gregis.

Sint modici risus, paruaq; utrinq; lacunae,

Et summa

Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu,
Sed leue nescio quid, foemineumq; sonet.
Est & in incessu pars non temnenda decoris,
Allicit ignotos, illa fugatq; uiros.
Carpe cibos dignis, est quidam gestus edendi
Ora nec immunda tota perunge manu,
Neue domi praesume dapes, sed desine citra
Quam cupias, paulo quam potes esse minus.
Nec coram mistas ceru.e sumpsisse medullas
Nec coram dentes perfricuisse probem.
Ista dabunt faciem, sed erunt deformia uisu
Multaq; dum fiunt turpia, facta placent.
Certa tibi a nobis dabitur mensura bibendi,
Officium praestent mensq; pedesq; suum
Iurgia praecipue uino stimulata caueto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Euricion stulte data uina bibendo,
Aptior est dulci mensa merumq; ioco.
Parua monere pudet, talorum dicere iactus,
Ut sciat, & uires tessera missa tuas.
Sed minimus labor est, sapienter iactibus uti,
Maius opus, mores composuisse suos.
Tunc sumus incauti, studioq; aperimur, in ipso.
Nudaq; per lusus pectora nostra patent.
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido,
Iurgiaq; & rixae, sollicitusq; dolor.
Crimina dicuntur, resonat clamoribus aether,

Inuocat

Inuocat iratos & sibi quisq; deos.

Pertinet ad faciem rabidos compescere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.

Pax.

Ora tument ira, nigrescunt sanguine uenæ

Ira.

Lumina Gorgoneo sæuius angue micant

Odimus immo-dicos (experto credite) fastus

Sæpe tacens odij semina uultus habet.

Fastus.

Spectantem specta, ridenti mollia ride,

Innuet, acceptas tu quoq; redde notas

Rara tamen menda facies caret occule mendas

Quodq; potes uicium corporis abde tui.

Plautus in Pœnu.

Liberos homines per urbem modico magis par est
gradu

Ire, seruile esse duco festinantem currere.

Catullus.

Risu inepto res ineptior nulla est

SAPIENTIA.

Iuuenalis Saty. XIII.

Plurima fœlix

Paulatim uitia, atq; errores exuit omnes

Prima docens rectum sapientia.

Plautus in Persa.

Si quam rem accures sobrie, aut frugaliter

Solet illa recte sub manus succedere,

Atq; ædepol, fermè, ut quisq; rem accurat suam,

Sic ei procedit, post principio, deniq;

G

Si malus

Sue quisq; Si malus aut nequam est, male res uortunt quas agit
fortune fa- Sin autem frugi est, eueniunt frugaliter.
ber.

Idem in Mili.

Nemo solus satis sapit.

Idem in Trinummo.

Sapiens ipse fingit fortunam sibi.

Ibidem.

Non etate, uerum ingenio adipiscitur sapientia

Terentius in Adel.

Isthuc est sapere, non quod ante pedes modo est

Videre, sed etiam illa quæ futura sunt

Prospicere

Idem in Eunu.

Quod cauere possis stultum est admittere

Affranius, ut citat Gellius.

Vsus me genuit, mater peperit Memoria

σοφία uocant me Graij, uos sapientiam,

STULTITIA.

Horatius libro III Carmi.

Dulce est desipere in loco

Horatius libro I. Sermo.

Dum uitant stulti uicia in contraria currunt.

IUSTITIA.

Claudi. De consula, Manilii

Theodo.

Tu prima hominem syluestribus antris,

Elicis,

Elicis, & foedo detergis secula uictu,
 Te propter colimus leges, animosq; ferarum
 Exuimus, nitidis quisquis te sensibus hausit
 Irruet intrepidus flammis, hyberna secabit
 Aequora, consertos hostes superabit inermis,
 Ille uel æthiopum pluuijs solabitur æstus.
 Illum trans Scythiam uernus comitabitur aer.

RIGOR.

Terentius in *ἔκχουτοῦ*.

Ius summum, summa sepe malitia est.

VIS.

Val. Flaccus libro III.

Nec solis uiribus æquum
 Credere, sepe acri potior prudentia dextra.

Horatius libro III. Carmi.

Vis consilij expers mole ruit sua,
 Vim temperatam, dij quoq; prouehunt
 In maius, ijdem odere uires
 Omne nefas animo mouentes

Ouidius libro V. Tristi.

Non metuunt leges, sed cedit uiribus æquum
 Victaq; pugnaci iura sub ense iacent.

TYRANNIS.

Perian. Co. per Auson.

Multis terribilis, caueo multos.

Ouidius.

Quem meluit timet & quisq; perire cupit.

G ij

Iuuenalis

Iuuenalis Saty. X.

*Ad generum Cereris sine cæde & vulnere paucè
Descendunt reges, & sicca morte tyranni*

Idem Saty. VI.

Hoc uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Publius Mi.

Multos timere debet, quem multi timent.

Male imperando, summum imperium amittitur.

REX, REGNUM.

Ouidius Epistola. VI.

An nescis longas regibus esse manus.

Lucanus libro I.

*Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.*

Ouidius libro III. de Arte.

Non bene cum socijs regna Venusq; manent.

Stattius libro I. Theba.

Socijsq; comes discordia regnis.

PRINCIPVM VITIA

conspicua. Et quales prin-
cipes, tales ciues.

Iuuenalis Saty. VIII.

Omne animi uitium tanto conspectius in se

Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur

Ouidius ad Liuiam.

Ad te oculos, auresq; trabis, tua facta notamus,

Nec uox missa potest, principis ore tegi.

Claudia

Claudianus.

*Scilicet in vulgus manant exempla regentum
Vtq; ducum lituos, sic mores castra sequuntur.*

Idem.

Mobile mutatur mutato principe vulgus.

PRINCIPS.

Martialis libro VIII.

Principis est uirtus maxima, nosse suos.

Virgilius libro VI.

Parcere subiectos & debellare superbos

Ouidius libro VI. Fausto.

*Sic agitur censura, & sic exempla parantur
Quum iudex, alios quod monet, ipse facit.*

Idem libro II. de Ponto.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis

Idem I. de Ponto.

*Est piger ad poenas princeps, ad praemia uelox
Cuiq; dolet quoties cogitur esse ferox.*

DE PRINCIPIS OFFICIO

uide supra locum de Educa. libero.

quæ ex Claudia. annotata
sunt, folio XXVII.

Idem in II. Pane. in laudes Stilico.

Iusticia utilibus rectum praepone suadet.

Communesq; sequi leges, iniustaq; nunquam

Largiri socijs, durum patientia corpus

Instruit, ut nulli cupiat cessisse labori.

Iustitia.

Patientia.

G iij

Tempe

Temperan Temperies, ut casta petas, prudentia, ne quid
tia. Inconsultus agas, constantia, futile ne quid
Prudentia. Infirmumq; geras procul importuna fugantur
Numina monstriferis, quæ tartarus edidit antris
At primam scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum.
Trudis auaritiam, cuius foedissima nutrix
Ambitio, quæ uestibulis foribusq; potentum
Excubat, & precijs commertia pascit honorum

LEX.

Perfius Saty. V.

Publica lex hominum, naturaq; continet hoc fas,
Ut teneat uetitos inscitia debilis actus.

Iuuenalis Saty. II.

Dat ueniam coruis, uexat censura columbas.

Horatius libro I. Sermo.

Iura inuenta metu iniusti.

Ouidius in Fastis.

Principio nimium promptos ad bella Quirites

Molliri placuit iure deumq; metu.

Inde datæ leges ne fortior omnia posset.

Certaq; sunt, pure tradita sacra coli

Exuitur feritas, armisq; potentius æquum est

Et cum ciue pudet conseruisse manus

Atq; aliquis modo trux, uisa iam uertitur ara

Vinaq; dat tepidis farrasq; salsa focis.

FRAVS, VIM VI REPELLERE

licet

licet.

Ouidius II. Fasto.

Fraude perit uirtus.

Ouidius III. de Arte.

*Iudice me, fraus est concessa, repellere fraudem
Armaq; in armatos sumere, iura sinunt*

LICENTIA.

Terentius in Heau.

Deteriores omnes sumus licentia.

Ouidius III. Amo.

*Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas
Semina nequitiae languidiora facit.*

Publius Mi.

Cui plus licet quam par est, plus uult quam licet.

Cleobulus Lyn. per Auso.

Quanto plus liceat, tam libeat minus.

Ouidius IX. Meta.

*Quid liceat nescimus adhuc, & cuncta licere
Credimus?*

POENA.

Ouidius libro I. de Ponto.

Estq; pati poenam, quam meruisse minus.

Stattius libro V. Theba.

*Mouet & coelestia quondam
Corda dolor, lentoq; irrepunt agmine poene.*

G iij

mores,

MORES, CONSVETVDO.

Plautus in Trinummo.

Nunc mores nihil faciunt, quod licet
Nisi, quod lubet, ambitio iam more sancta est, libera
est à legibus.

Scuta iacere, fugereq; hesteis, more habent licentiam,
Petere honorem pro flagitio, more fit, mores
Leges, perduxerunt iam in potestatem suam, magis
qui sunt

Obnoxij, quàm parentes liberis? eæ miseræ etiam
Ad parientē sunt fixæ clavis ferreis, ubi malos mores
Affigi nimio fuerat æquius, neq;
Istis quicquam lege sanctum est, leges mori seruiunt,
mores autem

Rapere properant, qua sacrum, qua publicum.

Ouidius libro II. de arte Amandi.

Nil adsuetudine maius.

Idem eo libro.

Quod male fers, adsuesce, feres bene, multa uetustas
Lenit.

Idem.

Tempus et assueta ponere in arte iuuat.

Virgilius libro II. Georgi.

Adeo à teneris adsuescere multum est.

Publius Mi.

Grauißimum est imperium consuetudinis.

P A T R I A.

Ouidius

Ouidius I. Faſto.

Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor
Et uolucris uacuo quicquid in orbe patet.

Ouidius libro II. de Ponto.

Eſt aliquid patrijs uicinum finibus eſſe.

Statatius libro VIII. Theba.

Omni homini natale ſolum.

Ouidius libro I. de Ponto.

Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat
Fumum de patrijs poſſe uidere focis.

Nescio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Quid melius Rhoma, Scythico quid frigore peius
Huc tamen ex illa Barbarus urbe fugit.

Cum bene ſint clauſæ cauea Pandione natæ
Nititur in ſyluas quæq; redire ſuas.

Adſuctos tauri ſaltus, adſucta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt

NATALES.

Horatius libro III. Carmi.

Fortes creantur fortibus & bonis,

Eſt in iuuenis, eſt in equis patrum

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam.

Doctrina ſed uim promouet inſitam,

Reſtiq; cultus pectora roborant,

Vt cumq; defecere mores,

G v

Dedecora

Dedecorant bene nata culpes

QVAE VERA NOBILITAS.

Iuuenalis Saty. VIII.

*Stemmata quid faciunt? Quid prodest Pontice longo
Sanguine censeris, pictosq; ostendere vultus
Maiorum? Et stantes in curribus Aemilianos?
Et Curios iam dimidios? nasumq; minorem
Corum, et Galbam auriculis, nasoq; carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros
Si coram lepidis male uiuitur? effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox?
Tota licet ueteres exornent undiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est, atq; unica, uirtus*

Idem eadem Saty.

*Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Acacidae similis, Vulcaniq; arma capessas
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.*

Ibidem.

Miserum est aliorum incumbere famæ.

Ouidius libro I. de Ponto.

*Si modo non census, nec clarum nomen auorum
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.*

*Claudianus de quarto Honorii
Augusti consu.*

Virtute decet, non sanguine niti.

Ouidius libro XIII. Meta.

Nana

Nam genus & proavos & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra uoco.

STULTVM VVLGI IVDICIVM

& quæ sint petenda
a diis.

Iuuenalis Saty. X.

Omni^{bus} in terris, quæ sunt à Gadibus usq;
Auroram, & Gangem, pauci diuoscere possunt
Vera bona, atq; illis multum diuersa, remota
Erroris nebula, quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam, dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, uotiq; peracti?
Euertere domos totas optantibus ipsis
Dij faciles, nocitura toga, nocitura petuntur
Militia, & torrens dicendi copia, multis
Et sua mortifera est facundia, uiribus ille
Confusus perijt, admirandisq; lacertis.
Sed plures minima congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia census
Quanto delphinis balæna Britannica maior.

Idem eadem Saty.

Nil ergo optabunt homines? si consilium uis,
Permites ipsis expendere numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusq; sit utile nostris,
Nam pro iucundis aptissima quæq; dabunt dij
Carior est illis homo, quàm sibi, nos animorum
Impulsu, & cæca, magnaq; cupidine ducti

Deum cu-
ram gerere
mortalium

Coniugium

Virtus.

Coniugium petimus, partumq; uxoris, At illis
Notum qui pueri, qualisq; futura sit uxor,
Ut tamen & poscas aliquid, uoueasq; sacellis
Extæ, & candiduli diuina tomacula porci,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, & mortis terrore carentem,
Qui spaciū uitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunq; labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, seuosq; labores,
Et Venere, & coenis, & plumis Sardanapali
Monstro, quod ipse tibi possis dare, semita certe
Tranquillæ per uirtutem patet unica uitæ.
Nullum numen abest, si sit, prudentia, sed te
Nos facimus Fortuna deam, coeloq; locamus

DEVS.

Ouidius libro I. de Arte.

Expedit esse deos, & ut expedit esse putemus,
Dentur in antiquos thura merumq; focos
Nec securæ quies illos similisq; sopori
Detinet, innocui uiuite, numen adest.
Reddite depositum pietas sua foedera seruet,
Fraus absit, uacuas cædis habete manus.

Idem libro XIII. Meta.

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis
Idem libro I. de Arte.

Flectitur iratus uoce rogante deus

Ouidius

Ouidius libro II. Fasto.

Dij pia facta uident.

Ouidius libro III. Eleg. VIII.

*Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso
Sollicitor nullos esse putare deos.*

Idem.

Exitus in dijs est

Plautus in Capti.

*Est profecto deus, qui quæ nos gerimus auditq; & uide-
det.*

Manilius libro I. Astro.

Deus est qui non mutatur in æuo.

DEORVM POTESTAS.

Ouidius libro VIII. Meta.

*Immensa est, finemq; potentia cœli
Non habet, & quicquid superi uolucere, peractum est.*

Lucanus libro IX.

*Estq; dei sedes nisi terra, & pontus, & aer
Et cœlum & uirtus, superos quid quærimus ultra?
Iuppiter est, quodcunq; uides, quodcunq; moueris*

Ouidius libro III. Tristi.

*Nil adeo ualidum est adamas licet alliget illud
Ut maneat rapido firmitus igne Iouis.*

*Nil ita sublime est supraq; pericula tendit,
Non sit ut inferius suppositumq; deo.*

Idem libro I. Meta.

Et quid Ioue maius habetur.

Idem

Idem libro X. Meta.

Cedunt Iouis omnia regno

Idem V. Tristi.

Plus ualet humanis uiribus ira dei

QVIBVS REBVS COLENDI
superi.

Perfius. Saty. II.

At uos

Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum.

Nempe hoc, quod Veneri donatae a uirgine puppae

Quin damus id superis, de magna quod dare lance

Non possit magni Massalae lippa propago.

Compositum ius, fasque animi, sanctosque recessus

Mentis, et incoctum generoso pectus honesto,

Hoc cedo, ut admoueam templis, et farre litabo.

Ouidius Epistola. XIX.

Non boue mactato caelestia numina gaudent

Sed quae praestanda est, et sine teste fide.

DEVM ESSE QVI CVNCTA
regat, indicant creaturae
& cur bene fit
impiis.

Claudianus libro. I

Sepe mihi dubiam traxit sententia mentem

Curarent superi terras, an nullus inesset

Rector, et incerto fluerent mortalia casu,

Nam

Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
 Prescriptosq; maris fines anniq; meatus,
 Et lucis noctisq; uices tunc omnia rebar
 Consilio firmata dei, qui lege moueri
 Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci
 Qui uariam Phœben alieno iusserit igne
 Compleri, solemq; suo, porrexerit undis
 Littora, tellurem medio librauerit axe.
 Sed cum res hominum tanta caligine uolui
 Aspicerem, lætosq; diu florere nocentes,
 Vexariq; pios, rursus labefacta cadebat
 Religio, causæq; uiam non sponte sequebar
 Alterius, uacuo quæ semina currere motu
 Affirmant, magnumq; nouas per inane figuras
 Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu
 Ambiguo, uel nulla putat, uel nescia nostri.
 Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum
 Absoluitq; deos, iam non ad culmina rerum
 Iniustos creuisse queror, tolluntur in altum
 Ut lapsu maiore ruant.

FATVM. MORS.

Lucanus libro II.

Sed quo fata trahunt, uirtus secura sequetur.

Tibullus libro I.

Hunc cecimere diem Parcæ fatalia nentes

Stamina, non ulli dissoluenda deo.

Virgilius libro V. Aeneidos.

Nata

Nate dea quo fata trahunt retrahuntq; sequamur,
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Virgilius libro X. Aeneidos.

Stat sua cuiq; diesq; breue & irreparabile tempus
Omnibus est uitæ, sed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus.

Idem ibidem.

Nescia mens hominum fati, sortisq; future,
Et seruare modum, rebus sublata secundis.

Iuuenalis Saty. IX.

Fata regunt homines, fatum est in partibus illis
Quos sinus abscondit.

Plautus in Bacch.

Instabilis est sors rerum, pro libidine fata agunt
homines

Manilius libro III. Astro.

Fata regunt orbem certa stant omnia lege
Longaq; per certos signantur tempora cursus
Nascentes morimur finisq; ab origine pendet.

Martialis libro I.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, obseruant quem statuere diem

Ouidius ad Liuiam.

Fata manent omneis, omnes expectat auarus
Fortitor, & turbæ uix satis una ratis
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam
Omnia sub leges mors uocat atra suas
Vita data est utenda, data est sine scenore nobis

Mutus

Mutua, nec certa persoluenda die.
 Fortuna arbitrijs tempus dispensat ubiq;
 Illa rapit iuuenes, sustulit illa senes.
 Quaq; ruit, furibunda ruit, totumq; per orbem
 Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis
 Sed rigidum ius est & ineuitabile fatum
 Stant rata non ulla fila tenenda manu.

Lucretius. libro 3.

Mancipio nulli uita datur omnibus usu.

Horatius libro I. Carmi.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
 Regumq; turres.

Horatius libro II. Carmi.

Eheu fugaces Posthume Posthume
 Labuntur anni, nec pietas morans
 Rugis, & instanti senectæ
 Afferet, indomitæq; morti
 Non si tricenis, quotquot eunt dies,
 Amice places illachrymabilem
 Plutona tauris, qui ter amplum
 Geryonem, Tritonaq; tristi
 Compescit unda. Scilicet omnibus
 Quicumq; terræ munere uescimur,
 Enauiganda, siue reges,
 Siue inopes erimus coloni, & c.

Horatius libro III. Carmi.

Dulce & decorum est pro patria mori
 Mors & fugacem persequitur uirum

H

Nec

*Nec parcat imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidoq; tergo.*

Horatius libro I. Epistola.

Mors ultima linea rerum est

Ouidius X. Meta.

*Omnia debentur fato, paulumq; morati
Seriùs aut citius sedem properamus ad unam
Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima.*

Catullus.

*Soles occidere & redire possunt.
Nobis, cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua una dormienda.*

Propertius libro III.

*Sed tamen huc omnes, huc primus & ultimus ordo
Est mala sed cunctis ista terenda uia est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla,
Scandenda est torui publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non uis exemit Achillem
Croesum aut Pactoli quas parit humor opes.*

Idem.

Longius aut propius mors sua quæq; manet

Corn Gal.

*Omnibus est eadem lethi uia, non tamen unus
Est uitæ cunctis exitiq; modo.*

*Hac pueri atq; senes pariter iuuenesq; ferentur
Hac par diuitibus pauper egenus erit.*

Ouidius

Ouidius libro III. Am.o

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat
 Omnibus obscuras inijcit illa manus.

Horatius libro I. Carmi. Ode. IIII

Vitæ summa breuis spem nos uetat inchoare longam
 Iam te premet nox fabulæq; manes.

Et domus exilis Plutonia.

Horatius libro I. Carmi. Ode. XXVIII.

Omnes una manet mors

Et calcanda semel uia lehti.

Mista senum, ac iuuenum densantur funera, nullum

Sæua caput Proserpina fugit.

Horatius II. Carmi. Ode III.

Diues ne prisco natus ab Inacho

Nil interest, an pauper, & infima

De gente sub dio moreris,

Victima, nil miserantis Orci.

Omnes eodem cogimur, omnium

Versatur urna, serius, ocyus

Sors exitura, & nos in æternum

Exilium impositura cymbæ.

Lucanus libro VIII.

Mors ultima pœna est.

Lucretius libro III.

Certe equidem finis uitæ mortalibus adstat

Nec deuitari lethum pote, quin obeamus.

Plautus in Rudente.

Neq; est melius morte in malis rebus.

ij H

Statius

dius



Stattus libro IX. Theba.

Mille modis leti miseros mors una fatigat.

Stattus libro II. Sylua.

Omnia functa,

Aut moritura uides, obeunt noctesq; diesq;

Astraq; nec solidis prodest sua machina terris.

Nam populus mortale genus, plebisq; caduce

Quis fleat interitus? hos bella, hos æquora poscunt,

His amor exitio, furor his, & seua cupido.

Vt sileam morbos, hos ora rigentia brumæ,

Illos implacido lætalis Syrius igni,

Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu,

Quicquid habent, ortus finem timet, ibimus omnes

Ibimus immensis urnam quatit Æacus umbris.

Martialis libro I.

Non est crede mihi sapientis dicere uiuam

Sera nimis uita est crastina, uiue hodie.

Claudianus libro II. de raptu.

Proserpinæ.

Omnia mors æquat.

Publius Mi.

Lex uniuersi est, quæ iubet nasci & mori.

Periander Corinthius per Auso.

Mortem optare malum, timere peius.

Perfius Saty. IIII.

Viue memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde est

FORTVNA ET EIVS INCON-
stantia.

Ouidius

Ouidius libro III de Ponto.

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Et certam præsens uix habet hora fidem

Tu quoq; fac timeas, & quæ tibi læta uidentur

Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

Idem libro III. Tristi.

Nempe dat & quodcunq; libet, fortuna, rapitq;

Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.

eo libro III.

Humanæq; memor sortis, quæ tollit eosdem

Et premit, incertas ipse uerere uices.

Idem V. Tristi.

Pasibus ambiguis fortuna uolubilis errat,

Et manet in nullo certa tenaxq; loco.

Sed modo læta manet, uultus modo sumit acerbos,

Et tantum constans in leuitate sua est.

Lucanus libro I.

Fors incerta uagatur,

Fertq; refertq; uices, & habent mortalia casum.

Publius Ml.

Dies quod dat, timeas, cito raptum uenit.

Tibullus libro I.

Versatur celeri fors leuis orbe rotæ.

Ouidius libro V. Tristi.

Rara quidem est uirtus, quam non fortuna gubernat,

Quæ maneat stabili, cum fugit illa, pede.

Iuuenalis Saty. VII.

Si fortuna uolet fies de rhetore consul

ij H

Si uolet

Si uolet hæc eadem, fies de consule rhetor.

Silius libro III.

Pelle moras, breuis est magni fortuna fauoris.

Horatius libro III. Carmi.

Fortuna seuo læta negotio,

Ludum insolentem ludere pertimax

Transmutat incertos honores,

Nunc mihi, nunc alij benigna.

Plautus in Capti.

Fortuna humana fingit, artatq; ut lubet.

Publius Mi.

Fortuna cum blanditur captatum aduenit.

Fortunam citius reperias, quàm retineas,

Fortuna nimium quem fouet, stultum facit.

Fortuna uitrea est, quæ cum splendet frangitur

Leuis est fortuna, cito reposcit, quæ dedit.

DE FORTVNA EX EPI
grammatibus, quæ Virgilio
adscribuntur.

O fortuna potens quam uariabilis

Tantum iuris atrox quæ tibi uendicas

Euertisq; bonos, erigis improbos,

Nec seruare potes muneribus fidem.

Fortuna immeritos auget honoribus.

Fortuna innocuos cladibus afficit.

Iustos illa uiros pauperie grauat.

Indignos eadem diuitijs beat.

Hec

Hæc aufert iuuenes, & retinet senes.
 Iniusto arbitrio tempora diuidens.
 Quod dignis adimit, transit ad impios.
 Nec discrimen habet, rectaq; iudicat,
 Inconstans, fragilis, perfida, lubrica,
 Nec quos clarificat, perpetuo fouet,
 Nec quos deseruit, perpetuo premit.

Plautus in Pseu.

Centum doctū hominum consilia hæc una deuincit dea
 Fortuna, atq; hoc uerum est, perinde ut quisq; ea uti-
 tur,

Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus.
 Bene ubi quid discimus consilium accidisse, hominem
 cautum eum

Esse declaramus, stultum autem illum, qui uertit male.
 Stulti haud scimus, frustra ut scimus, quom quod cu-
 pienter dari

Petimus nobis, quasi quid in rem sit possimus noscere,
 Certa amittimus, dum incerta petimus, atq; hoc euenit
 In labore atq; in dolore, ut mors obrepat interim.

Ausonius in Epigramma.

Fortuna nunquam sistit in eodem statu.
 Semper mouetur, uariat & mutat uices,
 Et summa in unum uertit, ac uersa erigit.

Manilius libro III. Astro.

Idcirco tanta est rerum discordia in æuo
 Et subtexta malis bona sunt, lachymæq; sequuntur
 Vota, nec in cunctis seruat fortuna tenorem

H iij

Vsq;

Usq; adeo permixta fluit, nec permanet usquam
Amisitq; fidem uariando cuncta per omnes
Non annis anni, non menses mensibus usq;
Conueniunt, seq; ipse dies aliumq; relinquit,
Horaq; non ulli similis producitur horæ.

SECUNDA FORTVNA.

Mens erit apta capi tunc, cum lætissima rerum
Ut seges in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore
Ipsa patent.

Perian. Corin. per Auso.

Si fortuna iuuat, caueto tolli,
Si fortuna tonat, caueto mergi.

Ausonius in Epigramma.

Fama est fictilibus coenasse Agathoclea regem,
Atq; abacum samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea uasis,
Et misceret opes, pauperiemq; simul.
Querenti causam, respondit, Rex ego qui sum
Sicania, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicumq; repente
Diues ab exili progrediere loco.

Horatius libro II. Sermo.

Ingenium res,
Aduersæ nudare solent, cælare secunde.

Ouidius libro II. de Arte.

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Horatius

Horatius libro I. Epistola.

*Quem res, plus nimio delectauere secundæ
Mutatæ quatient.*

Terentius in Adel.

*Omnes cum secundæ res sunt, maxime
Meditari secum oportet, quo pacto aduersam crum-
nam ferant, pericula, damna, exilia.*

INFORTVNIVM.

Propertius.

Si qua uenit sero, magna ruina ruit.

ADVERSA INTERDVM profunt.

Ouidius III. Tristi.

*Quæ latet inq; bonis cessat non cognita rebus
Apparet uirtus, arguiturq; malis*

Ouidius libro V. Tristi.

*Scilicet aduersis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet
Si nihil infesti durus uidisset Vlisses
Penelope scelix, sed sine laude foret.*

AMICITIA.

Ouidius libro I. Tristi. Eleg. III.

*Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum iuuat, & uultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.*

H

▼

At simul

At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli,
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

Eodem libro I. Elegi. VIII.

Donec eris foelix, multos numerabis amicos
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Aspicias ut ueniant ad candida tecta columbae

Accipiat nullas sordida turris aues

Horrea formicae tendunt ad inania nunquam

Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Martialis libro XII.

Si uitare uelis acerba quaedam

Et tristes animi cauere morsus,

Nulli te facias nimis sodalem.

Gaudebis minus, & minus dolebis.

Martialis libro VI.

Vt praestem Piladem, aliquis mihi praestet Orestem

Hoc non fit uerbis Marce, ut ameris, ama.

Ouidius libro II. de Arno.

Semper habe Pyladem aliquem qui curct Orestem

Hic quoq; amicitiae non leuis usus erit

Manilius libro II.

Idcirco nihil ex semet natura creauit

Pectore amicitiae maius, nec rarius unquam.

Vnus erat Pylades unus qui mallet Orestes

Ipsa mori, lis una fuit per secula mortis

Alter quod raperet fatum, non cederet alter.

Et duo qui potuere sequi uix noxia poenis

Optauitq; rerum sponsor non posse reuerti

Sponsoremq;

Sponsoremq; reus timuit ne solueret ipsum.

Ouidius libro II. de Ponto.

Turpe quidem dictu, sed si modo uera fatemur,

Vulgus amicitias utilitate probat.

Cura quid expediat prior est, quam quid sit honestu

Et cum fortuna statq; caditq; fides.

Nec facile inuenies multis in milibus unum

Virtutem precium qui putet esse sui.

Virtus.

Ipsa decor recti, facti si praemia desint,

Non mouet, & gratis poenitet esse probum.

Nil nisi quod prodest, carum est, en detrahe menti

Spem fructus, auidae, nemo petendus erit.

At reditus iam quisq; suos amat, & sibi quid sit

Vtile sollicitis, computat articulis.

Illud amicitiae quondam uenerabile nomen

Prostat, & in quaestu pro meretrice sedet.

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,

Quae simul in tonuit proxima quaeq; fugat.

En ego non paucis quondam munitus amicis

Dum flauit uelis, aura secunda meis

Vt fera nimbo tumuerunt aequora uento,

In medijs lacera naue relinquer aquis.

Pittacus Mityle per Auso.

Plures amicos re secunda compares.

Paucos amicos rebus aduersis proba

Ouidius I. Artis.

Tuta frequensq; uia est, per amici fallere nomen

Tuta frequensq; licet sit uia, crimen habet,

Horatius

Horatius libro I. Epistola.

Ne fidos inter amicos

Sit, qui dicta foras eliminat.

Horatius libro I. Carmi. Ode. XXXV.

Diffugiunt cadis

Cum fece siccatis amici,

Ferre iugum pariter dolosi.

Ennius.

Amicus certus, in re incerta cernitur.

Lucretius libro III.

Quo magis in dubijs homines spectare periculis

Conuenit, aduersisq; in rebus noscere qui sint,

Nam uerae uoces tum demum pectore ab imo

Eliciuntur, & eripitur persona, manet res.

Plautus in Epidico.

Is amicus est, qui in re dubia, re iuuat, ubi re opus est

Plautus in Pseudo.

Pauci ex multis amici sunt homini, qui certi sient

Idem in Trinummo.

Omniibus amicis, quod mihi est, cupio esse idem.

Terentius in Adel.

Vetus uerbum hoc quidem est

Communia esse amicorum inter se omnia.

Plautus in Stichio.

Vt cuiq; homini res parata est, firmi amici sunt, si la-
bant

Res lasse, itidem amici collabascunt, amicos res inue-
nit.

Plautus

Plautus in Bacchi.

Multi more isto atq; exemplo uiuunt, quos cum cen-
seas

Tibi amicos, reperiuntur falsi testimonijs
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide

Horatius libro I. Epistola.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici
Expertus metuet.

Publius Mi.

Amici uitia si feras, facis tua.

Idem.

Amicos res optimæ parant, aduersæ probant.

Ita amicum habeas, posse ut fieri inimicum putes.

Ita crede amico, ne sit inimico locus.

Ennius in Satyris ut citatur
a Gellio.

Hercle puto hoc erit tibi argumentum semper in
promptu situm

Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis.

INIMICITIA.

Publius Mi.

Cum inimico nemo in gratiam cito redit.

SIMILIS SIMILI GAUDET.

& quisque suo studio
delectatur.

Horatius libro. I. Epistola.

Oderunt

Oderunt hilarem tristes, tristemq; iocosi,
Sedatum celeres, agilem gnauumq; remissi.

Ouidius libro II. de Ponto.

Scilicet ingenijs aliqua est concordia iunctis,
Et seruiat studij foedera quisq; sui
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem
Rectorem dubiae nauita puppis amat.

Propertius libro II.

Nauita de uentis, de tauris narrat arator.
Enumerat miles uulnera, pastor oues
Qua pote quisq; in ea conterat arte diem.

Ouidius libro I. de Ponto.

Scilicet est cupidus studiorum quisq; suorum
Tempus & adsueta ponere in arte iuuat.

**AMICI VICIA NOVERIS
non oderis.**

Horatius libro I. Sermo.

At pater ut gnati, sic nos debemus amici
Si quod sit uicium, non fastidire, strabonem
Appellat pætum pater, & pullum, male paruus
Si cui filius est, ut abortiuus fuit olim
Sisyphus, hunc uarum distortis cruribus, illum
Balbutit scaurum prauis fultum male talis.
Parcius hic uiuit, frugi dicatur, ineptus
Et iactantior hic paulo est, concinnus amicis
Postulat ut uideatur, at est truculentior, atq;
Plus æquo liber simplex, fortisq; habeatur.

Caldioꝝ

*Caldior est, acres inter numeretur opinor.
Hæc res & iungit, iunctos & seruat amicos.*

**SERVANDA FIDES ET PRAE-
fertim inter amicos.**

Silius libro XI.

*Dum trepidæ res & medicinam vulnera poscunt
Is locus officio cum cessant prospera, cunq;
Dura ad opem fortuna uocat, nam læta fouere
Haud quaquam magni est animi decus.*

Publius Mi.

*Fidem qui perdit, nil potest ultra perdere
Ouidius libro V. Tristi. Elegi. XIII.*

*Cum deus intonuit, non se subducere nimbo,
Id demum est pietas, id socialis amor.*

Ouidius III. Epistola.

*Non boue mactato cælestia numina gaudent
Sed quæ præstanda est & sine teste fide.*

**FIDES ETIAM HOSTI SER-
uanda.**

Silius Italicus libro XIII.

Multo optimus ille.

*Militiæ, cui postremum est, primumq; tueri
Inter bella fidem*

Ouidius libro II. de Ponto.

*Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci,
Turpe laborantem deseruisse ratem.*

Turpe

Turpe sequi casum, & fortunæ cedere, amicum
Et nisi sit fœlix, esse negare suum.

Ovidius Epistola. XVI.

Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Silius Italicus libro XIII .

Fœdera mortales ne seuo rumpite ferro
Sed castam seruate fidem, fulgentibus ostro
Hæc potior regnis, dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquet amici
Non illi domus, aut coniunx, aut uita manebit
Vnquam expers luctus, lachrimæq; aget æquore sem-
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieq; (per

Mens con- Despecta ac uiolata fides.
scia mali.

CONCORDIA.

Publius. Mi.

*Concordia parum res confert
Discordia magnum
laburum.*

Discordia fit charior concordia

Auxilia humilia, firma consensus facit.

DISCORDIA.

Iuuenalis SATY. XV.

Inter finitimos uetus, atq; antiqua similtas
Immortale odium, & nunquam sanabile uulnus.

CONTENTIO.

Publius Mi.

Nimum altercando ueritas amittitur.

REDITVS IN GRACIAM.

Plautus

Plautus in Amphi.

Nam in hominum aetate multa eueniunt huiusmodi,
 Capiunt uoluptates, mox rursus miseras,
 Irae interueniunt, redeunt rursus in gratiam.
 Verum irae si quae forte eueniunt huiusmodi,
 Inter eos, rursus si reuentum in gratiam est
 Bis tanto amici sunt inter se quam prius.

Terent.

Amantium irae amoris reintegratio est.

BELLVM.

Lucanus lib. II.

Nobilitas cum plebe perit, lateq; uagatur
 Ensis, et à nullo reuocatum est pectore ferrum.
 Stat cruor in templis, multaq; rubentia caede
 Lubrica saxa madent, nulli sua profuit aetas,
 Non senis extremum piguit uergentibus annis
 Precipitasse diem, nec primo in limine uitae
 Infantis miseri nascentia rumpere fata,
 Crimine quo parui caedem potuere mereri?
 Sed satis est iam posse mori.

Idem eodem libro.

Quemq; suae rapiunt scelerata in praelia caesae,
 Hos polluta domus, legesq; in pace timendae,
 Hos ferro fugienda fames, mundi q; ruinae
 Permiscenda fides, nullum furor egit in arma,
 Castra petunt magna uicti mercede.

Virg. lib. X.

I

Nulla

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Luca. lib. X.

Nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur
Venalesq; manus, ibi fas, ubi maxima merces.

Tibullus lib. I.

Qui fuit horrendos primus qui protulit enses?

Quam ferus? & uere ferreus ille fuit.

Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,

Tunc breuior diræ mortis aperta uia est.

At nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra

Vertimus, in sæuas quod dedit ille feras.

Diuitis hoc uitium est auri, nec bella fuerunt,

Faginus astabat cum cyphus ante dapes.

Non arces, non uallus erat, somnumq; petebat

Securus uarias dux gregis inter oues.

Idem ibidem.

Quis furor est, atram bellis accersere mortem?

Imminet, & tacito clam uenit illa pede.

Non seges est infra, non uinea culta, sed audax

Cerberus, & stygiæ nauita puppis aquæ.

Illic percussisq; genis ustoq; capillo

Errat ad obscuros pallida turba lacus.

Mediocris Quam potius laudandus hic est, quem prole parata

tas. Occupat in parua pigra senecta casa.

Ipsæ suas sectatur oues, at filius agnos,

Et calidam fesso comparat uxor aquam

P A X.

Tibullus

Tibullus lib. I.

Interea pax arua colat, pax candida primum
 Duxit araturos sub iuga curua boues.
 Pax aluit uites, & succos condidit uuae,
 Funderet ut nato testa paterna merum.
 Pace bidens, uomerq; uigent, ac tristia duri
 Militis in tenebris occupat arma situs.
 Rusticus è lucoq; uehit male sobrius, ipso
 Vxorem plaustro, progeniemq; domum.

Silius Italicus lib. XI.

Pax optima rerum
 Quas homini nouisse datum est, pax una triumphis
 Innumeris potior, pax custodire salutem
 Et ciues æquare potens.

Ouid. II. Fasto.

Sub iuga bos ueniat, sub terras semen aratas,
 Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres

Idem lib. III. Ar.

Candida pax homines, trux decet ira feras.

ASSENTATIO.

Iuuenia. Saty. III. de Græcis.

Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
 Sermonem indocti, faciem deformis amici,
 Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
 Herculis Antæum procul à tellure tenentis.
 Miratur uocem augustam, qua deterius nec
 Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

I ij

Natio

*Natio comœda est, rides? maiore cachinno
Concutitur, flet si lachrymas aspexit amici,
Nec dolet, igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit, Endromydem, si dixeris æstuo, sudat.*

SIMVLATIO.

Iuuenalis Saty. II.

*Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glaciale
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant, & Bacchanalia uiuant.*

Idem ibidem.

Frontis nulla fides.

Publius Mimus.

Ficta cito ad naturam reciderint suam.

VERITAS.

Plaut. in Mostel.

Ego uerum amo, uerum uolo mihi dici, mendacem odi.

GARRVLITAS.

Horat. de arte Poet.

Nescit uox missa reuerti.

Pittacus Mityle. per Auso.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.

TACITVRNITAS.

Ouid. lib. II. de arte.

*Eximia est uirtus præstare silentia rebus,
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.*

Horat.

Horat. lib. I. Episto.

Arcanum neq; tu scrutaberis ullius unquam,
Commissumq; teges, & uino tortus & ira.

Idem ibidem.

Quid de quoq; uiro, & cui dicas sepe uideto.
Perconctatorem fugito, nam garrulus idem est.
Nec retinent patulae commissa fideliter aures.
Et semel emissum uolat irreuocabile uerbum.

OB TRECTATIO.

Horat. lib. I. Sermo.

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famamq; dicacis,
Fingere qui non uisa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Iuue. Saty. IX.

Viuum est recte tum propter plurima, tumq; his
Præcipue causis ut linguas mancipiorum
Contemnas, Nam lingua mali pars pessima serui.

Publius Mi.

Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

PERIURIVM.

Ouid. lib. I. Amo.

Non bene conducti uendunt periuria testes,
Non bene selecti iudicis arca patet.

Tibul. lib. I.

Ah miser & si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis poena uenit pedibus.

I iij

Contra

CONTRA CAUSIDICOS ET
iniquos iudices.

Ovidius. I. Amo.

*Turpe reos empta miseros defendere lingua,
Quòd faciat magnas turpe tribunal opes.*

TESTES.

Plautus in Trucu.

*Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti
Decem, qui audiunt, audita dicunt, qui uident planè
sciunt.*

BENEFICENTIA, LIBE-
RALITAS.

Plautus in Milite glorio.

Nam in mala uxore atq; inimico si quid sumatur, sum-
ptus est,
In bono hospite atq; amico, quæstus est quod sumitur,
Et quod in diuinis rebus sumas sumptus sapienti lucro
est.

Ausonius in Epigram.

Gratia quæ tarda est, ingrata est, gratia namq;
Cum fieri properat, gratia grata est.

Plautus in Ruden.

Quod bene fit, bonis haud perit.

Pub. in Mimis.

Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Idem.

Bis est gratum, quod opus est, ultro si offeras.

Idem

Idem.

Beneficium accipere, libertatem uendere est.

Beneficium dando accipit, qui digno dedit.

Beneficium sepe dare, docere est reddere.

Beneficium dignis ubi das, omnes obligas.

DANTEM OBLIVISCI, AC-
ipientem meminisse officii
 decet.

Martia. lib. V. in Posthumum.

Quæ mihi præstiteris meminere semperq; tenebo.

Cur igitur taceo, Posthume tu loqueris?

Incipio quoties alicui tua dona referre,

Protinus exclamat, dixerat ipse mihi.

Non bella quædam faciunt duo, sufficit unus

Huic operi, si uis ut loquar, ipse tace.

Crede mihi quamuis ingentia Posthume dones

Autoris pereunt garrulitate sui.

Publius Mimus.

Beneficium se dedisse qui dicit, petit.

GRATITUDO.

Plautus in Capti.

Quòd bonis bene sit beneficium, gratia ea grauida est
 bonis.

Publius Mimus.

Beneficium dare qui nescit, iniuste petit.

Idem.

Beneficia plura recipit, qui scit reddere.

I iij

Virgilius

Virgilius lib. III. Aeneid.

Et bene apud memores ueteris stat gratia facti.

Martialis.

Dedecus est semper sumere, nilq; dare.

INGRATITUDO.

Publius Mimus.

Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris.

Ausonius in Epigram.

Ingrato homine terra peius nil creat.

Catullus.

Desine de quoquam quicquam bene uelle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est,

Imo etiam tædet, tædet obestq; magis

Vt mihi, quem nemo grauius, nec acerbius urget,

Quàm modo qui me unū, atq; unicū amicū habuit.

Plaut. in Capti.

Nam ferè maxima pars morem hunc homines habent,
quod sibi uolunt

Dum id impetrant, boni sunt, sed id ubi iam penes se
se habent

Ex bonis pessimi, & fraudulentissimi

Sunt.

Plaut. in Pœnulo.

Ita sunt omnes isti nostri diuites,

Si quid benefacias, leuior pluma est gratia,

Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.

Plautus

Plautus in Persa.

Improbus homo est

Qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.

Iuuenalis Saty. VII.

Scire uolunt omnes mercedem soluere nemo.

HOSPITALITAS.

Ouid. lib. V. Tristi.

Turpius eijcitur quam non admittitur hospes.

DIVITIAE, OPES,
PECVNIA.

Ouid. lib. III. Amo.

Ingenium quondam fuerat preciosius auro,

At nunc barbaria est grandis habere nihil.

Idem ibidem.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores,

Inde grauis iudex, inde seuerus eques.

Idem lib. II. de Arte.

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur,

Dummodo sit diues barbarus ille placet.

Aurea sunt uere nunc secula, plurimus auro

Venit honos, auro conciliatur amor.

Ipsa licet uenias Musis comitatus Homere,

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Proper. lib. III.

At nunc desertis cessant sacraria lucis,

Aurum omnes uicta iam pietate colunt.

Aurea nunc uere sunt secula, plurimus auro

Venit honos, auro conciliatur amor.

I ♪

Auro

*Auro pulsa fides, auro uenalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

Horat. lib. I, Episto.

*Scilicet uxorem cum dote, fidemq; & amicos,
Et genus & formam regina pecunia donat.*

Horat. lib. II. Sermo.

*Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina, humanaq; pulchris
Diuitijs parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam & rex.
Et quicquid uolet.*

Horat. lib. II. Sermo.

Et genus & uirtus, nisi cum re, uilior alga est.

Iuuenalis Saty. III.

*Da testem Romæ tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idæi, procedat uel Numa, uel qui
Seruauit trepidam flagranti ex æde Mineruam,
Protinus ad censum, de moribus ultima fiet
Questio, quot pascit seruos, quot possidet agri
Iugera? quam multa magneq; paropside cœnat?
Quantum quisq; sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.*

Iuuenalis Saty. VI.

*Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Diuitiæ molles.*

Idem Saty. X.

Pauca licet portes argenti uascula puri,

Nocte

Nocte iter ingressus gladium, contumq; timebis
 Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram,
 Cantabit uacuis coram latrone uiator.

Iuuenalis Saty. XIII.

Tantis parta malis, cura maiore metuq;
 Seruantur, misera est magni custodia census.

Tibullus lib. I.

Sæpe solent auro multa subesse mala.

Tibullus lib. III. Eleg. III.

Non opibus mentes hominum curæq; leuantur,
 Nam fortuna sua tempora lege gerit.

Ausonius in Epigram.

Effigiem rex Cræse tuam ditissime regum

Vidit apud manes Diogenes Cynicus.

Constitit utq; procul solito maiore cachinno

Concussus dixit, quid tibi diuitiæ

Nunc profunt regum, rex ô ditissime, cum sis,

Sicut ego solus, me quoq; pauperior.

Nam quæcunq; habui mecum fero, cum nihil ipse

Ex tantis tecum Cræse feras opibus.

Bias Prie. per Auso.

Quis diues? qui nil cupiet. Quis pauper? auarus.

Ouid. lib. I. Metamor.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

A V A R I T I A.

Ouid. lib. I. Fasto.

Vix ego Saturno quenquam regnante uidebam

Cuius non animo dulcia lucra forent.

Tempore

Tempore creuit amor, qui nunc est summus, habendi
Vix ultra quò iam progrediatur habet.
Creuerunt & opes & opum furiosa cupido,
Et cum possideant plurima, plura petunt
Querere ut absument, absumpta requirere certant,
Atq; ipsæ uitij sunt alimenta uices.
Sic quibus intumuit suffusa uenter ab unda,
Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
In precio precium nunc est, dat census honores.
Census amicitias pauper ubiq; iacet.

Horat. lib. III. Carmi.

Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumq; fames.

Multa petentibus

Desunt multa, bene est, cui deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Horat. lib. III. Car. Oda. XXIII.

Scilicet improbæ

Crescunt diuitiæ, tamen

Curtæ nescio quid semper abest rei.

Horat. lib. I. Episto.

Semper auarus eget, certum uoto pete finem.

Idem.

Imperat, aut seruit, collecta pecunia.

Iuuenia. Saty. XIII.

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit,
Et minus hanc optat qui non habet.

Horat. lib. II. Sermo.

Si quis

Si quis emat citharas, emptas comportet in unum
 Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli,
 Si scalpra, & formas non sutor, nautica uela
 Aduersus mercaturis, delirus & amens,
 Vndiq; dicatur merito, quid discrepat istis,
 Qui nummos aurumq; recondit, nescius uti
 Compositis, metuensq; uelut contingere sacrum?
 Si quis ad ingentem frumenti semper aceruum
 Porrectus uigilet cum longo fuste, neq; illinc
 Audeat esuriens dominus contingere granum
 Ac potius folijs parcus uescatur amaris.
 Si, positus intus Chij, ueterisq; Falerni
 Mille cadis, nihil est, tercentum milibus, acre
 Potet acetum, age, si & stramentis incubet unde
 Octoginta annos natus, cui stragula uestis,
 Blattarum, ac tinearum epulæ putrescat in arca,
 Nimirum insanus paucis uideatur, eò quòd
 Maxima pars hominum morbo iactatur eodem,
 Filius aut etiam libertus ut ebibat hæres,
 Dis inimice senex custodis? ne tibi desit?
 Quantulum enim summæ curtabit quisq; dierum.

Iuena. Saty. XIII.

Inde ferè scelerum causæ nec plura uenena
 Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
 Humanae mentis uitium, quàm seua Cupido
 Indomiti census. Nam diues qui fieri uult,
 Et cito uult fieri, sed quæ reuerentia legum?
 Quis metus aut pudor est unquam properantis auari?

Idem

Lucrum.

Idem ibidem.

Lucri bonus est odor ex re
Qualibet, illa tuo sententia semper in ore
Versetur dijs, atq; ipso Ioue digna Poetae.
Vnde habeas quærit nemo, sed oportet habere.

Claudianus lib. I. in Ruffinum.

Semper inops quicumq; cupit.

Propertius lib. III.

Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu uitijs hominum crudelia pabula præbes
Semina curarum, de capite orta tuo.

Cornelius Gal.

Quid mihi diuitiæ, quarum si demeris usum,
Quamuis largus opum, semper egenus ero?
Imo etiam poena est partis incumbere rebus,
Quas cum possideas, est uiolare nefas.
Non aliter sitiens uicinas Tantalus undas
Captat, & oppositis abstinet ora cibus.

Virg. lib. III. Aeneid.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Lucretius lib. V.

Ergo hominum genus incassum, frustra q; laborat
Semper, & in curis consumit inanibus æuum,
Nimirum, quia non cognouit, quæ sit habendi
Finis, & omnino quò ad uera uoluptas.

Propertius lib. III.

Haud

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas
Nudus ad infernas stulte uehere rates.

Martialis lib. VIII.

Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.

Idem lib. XI.

Fortuna multis nimis dat, satis nulli.

Manlius lib. III. Astro.

Quid tam sollicitis uitam consumimus annis?
Torquemurq; metu caecaq; cupidine rerum?
Aeternisq; senes curis dum quærimus æuum
Perdimus, & nullo uotorum fine beati,
Victuros agimus semper, nec uiuimus unquam,
Pauperiorq; bonis quisq; est, qui plura requirit,
Nec quod habet numerat, tantū, quod non habet, optat.
Cunq; sui paruos usus natura reposcat,
Materiam struimus magnæ per uota ruinae,
Luxuriam lucris eminus luxuq; rapinas
Et summum census, precium est, effundere censum.

Publius in Mimis.

Auarus ipse miserie caussa est suæ.
Auarus, nisi cum moritur, nil recte facit.
Avaro quid mali optes? ni ut uiuat diu.
In nullum auarus bonus, in se pessimus.
Inopiæ parua desunt, auaritiæ omnia.
Luxuriæ desunt multa, auaritiæ omnia.
Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.

Propert. lib. III. Eleg. VII.

lte

*Ite rates curuae & loethi quoq; texite caussas
Ista per humanas mors uenit acta manus.
Terra parum fuerat, terris adiecimus undas,
Fortunae miseras auximus arte uias.
Anchora te teneat, quem non tenuere poenates?
Quid meritum dicas cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcunq; paras, haud ulla carina
Consenuit, fallit portus & ipse fidem.
Natura insidians pontum substrauit auaris,
Ut tibi succedat uix semel esse potest.*

LVC RV M, PRAEDA.

Tibul. lib. II. Eleg. III.

*Ferrea, non Venerem, sed praedam saecula laudant
Praeda, tamen multis est operata malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis
Bellum. Hinc cruor, inde caedes, mors propiorq; uenit.
Praeda uago iussit geminare pericula ponto
Bellica cum dubijs rostra dedit ratibus.*

Plautus in Capti.

*Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existi-
stimo,
Scio ego multos iam lucrum luculentos homines red-
didit,
Est etiam, ubi profecto damnum praestet facere, quam
lucrum*

Odi ego aurum, multa multis saepe suasit perperam.

Terent. in Adel.

Pecuniam

*Pecuniam in loco negligere maximum interdum est
lucrum.*

Publius Mimus.

Damnum appellandum est, cum mala fama, lucrum.

Idem.

Lucrum, sine damno alterius, fieri non potest.

NEMO SVA SORTE CON-
TENTVS.

Horat. lib. I. Episto.

Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus.

Horat. lib. I. Sermo.

*Qui fit Meccenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors adiecerit illa
Contentus uiuat? laudet diuersa sequentes?
Et fortunati mercatores, grauis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contra mercator, nauim iactantibus austris,
Militia est potior, quid enim? concurritur, hoc
Momento, cita mors uenit, aut uictoria leta.
Agricolam laudat iuris, legumq; peritus,
Sub galli cantum consultor ubi hostia pulsat
Ille datis uadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos foelices uiuentes clamat in urbe.*

Ouid. lib. I. de Arte.

Fertilior seges est alienis semper in agris,

Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Horat. lib. I. Episto.

Cui placet alterius sua nimirum est odio fors.

K

Publius

Publius Mi.

Alienum nobis, nostrum plus alijs placet.

Terent. in Phor.

*Itaq; pleriq; ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœ-
nitent.*

MALE PARTA.

Plautus in Pœnulo.

Male partum, male disperit.

Plautus in Rudent.

In ætate hominum plurimæ

Fiunt transfennæ, ubi decipiuntur dolis,

Atq; ædepol in eas plerunq; esca imponitur,

Quam si quis avidus poscit escam auariter

Decipitur in transfenna auaritia sua

Ille qui consulte, docte atq; astute cauet,

Diutine bene licet partum bene.

PARSIMONIA.

Ouid lib. II. de Arte.

Non minor est uirtus quàm quærere parta tueri,

Casus inest illic, hic erit artis opus.

Lucanus lib. I.

O faciles dare summa deos, eademq; tueri

Difficiles.

Ouid. de Reme.

Contrahere de multis grandis aceruus erit.

MVNERVM CORRVPTELA.

Ouid. lib. III. de Arte.

Munera

Munera crede mihi placant hominesq; deosq;

Placatur donis Iuppiter ipse datis.

Quid faciat sapiens? stultus quoq; munere gaudet,

Ipse quoq; accepto munere mitis erit.

Idem V. Fausto.

Sæpe Iouem uidi tum cum sua mittere uellet

Fulmina thure dato sustinuisse manum.

PAUPERITAS.

Horat. lib. III. Car.

Magnum pauperies opprobrium, iubet

Quid uis & facere, & pati

Virtutisq; uiam deserit arduæ.

Vel nos in Capitolium

Quo clamor uocat, & turba fauentium,

Vel nos in mare proximum

Gemmas & lapides, aurum & inutile,

Summi materiam mali,

Mittamus, scelerum si bene pœnitet

Eradenda Cupidinis

Praui sunt elementa, & teneræ nimis

Mentes asperioribus

Formandæ studijs.

Plautus in Ruden.

Miserum isthuc uerbum & pessimum est, habuisse &
nihil habere.

Iuena. Saty. III.

Nil habet infœlix paupertas durius in se,

Quàm quod ridiculos homines facit.

K ij

Idem

Idem ibidem.

*Haud facile emergunt quorum uirtutibus obstat
Res angusta domi.*

Corne. Gal.

*Pauperiem modico contentus semper amauit
Et rerum dominus nil cupiendo fui.*

Martialis lib. V.

*Semper eris pauper, si pauper es Aemiliane,
Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.*

Idem lib. XI.

O quantum cogit aegestas?

Ouid. VIII. Meta.

*Paupertatemq; ferendo
Effecere leuem.*

Plautus in Perfa.

*Quanquam res nostrae sunt pater pauperculae,
Modicae & modestae, melius est tamen ita uiuere.
Nam ubi ad paupertatem accessit infamia,
Grauior paupertas fit, fides sublestior.*

Terent. in Adel.

*Omnes quibus res sunt minus secundae, magis sunt ne-
scio quomodo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis,
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.*

Idem ibidem.

Paupertas mihi onus uisum est & miserum & graue.

Horat. lib. I. Episto.

Pauper enim non est, cui rerum suppetat usus,

Si uentri

*Si uentri bene, si lateri est, pedibusq; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.*

MEDIOCRITAS SIVE TVTA

*paupertas, uitæq; obscuritas ac
tranquillitas.*

Horat. lib. Car. II.

*Ocium diuos rogat in patenti
Prensus Aegæo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neq; certa fulgent
Sydera nautis.*

*Ocium bello furiosa Thrace,
Ocium Medi pharetra decori,
Grosshe non gemmis, neq; purpurâ ue-
nale, nec auro.*

*Non enim gazæ, neq; consularis
Summouet licitor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta uolanteis.*

*Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leueis somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.*

*Quid breui fortes iaculamur æuo
Multas? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
Se quoq; fugit?*

*Scandit æratas uitiosa naueis
Cura, nec turmas equitum relinquit,*

L iij

Ocyor

Ocyor ceruo, & agente nimbos

Ocyor Euro.

Letus in præsens animus, quod ultra est

Oderit curare, & amara lento

Temperet risu, nihil est ab omni

Parte beatum.

Abstulit clarum citâ mors Achillem,

Longa Tithonum minuit senectus,

Et mihi forsân tibi quod negarit,

Porriget hora.

Te greges centum, Siculaeq; circum

Mugiunt uacce, tibi tollit hinnitum

Apta quadrigis equa, te bis Afro

Murice tincta,

Vestium lanæ, mihi parua rura, &

Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ,

Parca non mendax dedit, & malignum

Spernere uilgus.

Horatius eodem lib. Car. Ode. X.

Rectius uiues Lycini, neq; altum

Semper urgendo, neq; dum procellas

Cautus horrescis, nimium premendo

Littus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem

Diligit, tutus caret obsoleti

Sordibus tecti, caret inuidenda

Sobrius aula.

Sæpius uentis agitur ingens

Pinus

Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulmina monteis.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus, informes hyemes reducit
Iuppiter, idem

Summouet, non, si male nunc, & olim
Sic erit, quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neq; semper arcum
Tendit Apollo.

Rebus angustis animosus, atq;
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes uento nimium secundo
Turgida uela.

Ouid. lib. III. Trist. Eleg. III.

O mihi chare quidem semper, sed tempore duro
Cognite, res postquam procubere mee.
V sibus edocto si quicquam credis amico
Viue tibi & longe nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq; potes prælustria uita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce uenit.
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,
Non profit potius si quis obesse potest.
Effugit hybernas demissa antenna procellas
Lataq; plus paruis uela timoris habent.
Aspicias, ut summa cortex leuis innatat unda,
Cum graue nexa simul retia mergat onus.

K iiij

Qui

Qui cadit in plano, uix hoc tamen euenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo.
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit regi flebilis umbra suo.
Quid fuit ut tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quòd hic alte, demissus ille uolabat,
Nam pennas ambo non habuere suas.
Crede mihi bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.
Non foret Eumenides orbis, si filius eius
Stultus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma uidisset, in arbore natus,
Cœpisset genitor si Phaethonta Merops.
Tu quoq; formida nimium sublimia semper,
Propositiq; precor contrahere uela tui.
Viue sine inuidia, mollesq; inglorius annos
Exige amicitias & tibi iunge pares.

Horat. lib. II. Sermo. Saty. VI.

Olim

Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cauo, ueterem uetus hospes amicum,
Asper, & attentus quæsitis, ut tamen arctum
Solueret hospitij animum, quid multa? neq; ille
Sepositi ciceris, nec longæ inuidit auenæ,
Aridum & ore ferens acinum, semesq; lardi
Frustra dedit, cupiens uaria fastidia coena
Vincere, tangentis male singula dente superbo,

Cum

Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
 Esset ador, loliumq; dapis meliora relinquens.
 Tandem urbanus ad hunc, quid te iuuat inquit amice
 Prærupti nemoris patientem uiuere dorso?
 Vis tu homines, urbemq; feris præponere syluis?
 Carpe uiam (crede mihi) comes, terrestria quando
 Mortales animas uiuunt sortita, neq; ulla est,
 Aut magno, aut paruo loethi fuga, quo bone circa
 Dum licet, in rebus iucundis uiue beatus,
 Viue memor quàm sis æui breuis, hæc ubi dicta
 Agrestem pepulere, domo leuis exilit, inde
 Ambo propositum peragunt iter, urbis auentes
 Mœnia nocturni subrepere, iamq; tenebat
 Nox medium coeli spacium, cum ponit uterq;
 In locuplete domo uestigia, rubro ubi cocco
 Tincta super lectos canderet uestis eburnos,
 Multaq; de magna superessent fercula cœna,
 Quæ procul extructis inerant hesternæ canistris.
 Ergo ubi purpurea porrectum in ueste locauit
 Agrestem, ueluti succinctus cursitat hospes,
 Continuatq; dapes, nec non uernaliter ipsis
 Fungitur officijs, prælambens omne, quod affert.
 Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisq;
 Rebus agit lætum conuiuam, cum subito ingens
 Valuarum strepitus lectis excussit utrunq;
 Currere per totum pauidi conclauæ, magisq;
 Exanimes trepidare, simul domus alta molossis
 Personuit canibus. Tunc rusticus, haud mihi uita

K

v

Est

Est opus hac, ait, & ualeas, me sylua, cauiusq;
Tutus ab insidijs tenui solabitur eruo.

Iuuenalis Saty. XIII.

Dolia nudi

Non ardent Cynici, si fregeris, altera fiet
Cras domus, atq; eadem plumbo commissa manebit
Sensit Alexander, testa cum uidit in illa
Magnum habitatorem, quanto foelicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus.
Nullum numen adest, si sit prudemia, sed te
Nos facimus Fortuna deam. Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, ædam
In quantum sitis, atq; fames, & frigora poscunt,
Quantum Epicure tibi paruis suffecit in hortis
Quantum Socratici cœperunt ante penates
Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.

Catullus.

O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, à peregrino
Labore fessi uenimus larem ad nostrum
Desideratoq; acquiescimus lecto.

Claudianus de Senatore Veronensi.

Fœlix qui proprijs æuum transegit in aruis,
Ipsa domus puerum quem uidet ipsa senem.
Qui baculo nitens, in qua reptauit harena
Vnius numerat secula longa casæ.

Illud

Illum non uario traxit fortuna tumultu,
 Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
 Non freta mercator, timuit, non classica miles,
 Non rauci lites pertulit ille fori.
 Indocilis rerum, uicinæ nescius urbis
 Aspectu fruitur liberiore poli.
 Frugibus alternis non consule computat annum,
 Aut uinum pomis uer sibi flore notat.
 Idem condit ager soles, idemq; reducit.
 Metiturq; suo rusticus orbe diem.
 Ingentem metunt paruo qui gramine quercum
 Aequæuunq; uidet consenuisse nemus.

Horat. lib. I. Sermo.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
 Quos ultra, citraq; nequit consistere rectum.

Ouid. lib. II. Meta.

Inter utrunq; tene, medio tutissimus ibis.

Horat. lib. I. Episto. Epist. I.

Non possis oculo quantum contendere Lynceus
 Non tamen idcirco contemnas lippus inungi,
 Nec quia desperes inuicti membra Glyconis
 Nodosa corpus nolis prohibere Chiragra,
 Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra.

Terent. in Andria.

Nam id arbitror

Apprime in uita esse utile, ut ne quid nimis.

Lucre. lib. V.

Diuitiæ grandes homini sunt, uiuere parce

Aequo

Aequo animo, neq; enim est unquam penuria parui.

Martialis lib. I.

Illud quod medium est, atq; inter utrunq; probatur.

Plautus in Poenu.

Modus omnibus

In rebus soror est optimum habitu, nimia omnia

Nimum exhibent negocium hominibus ex se.

Plautus in Aulula.

*Ego uirtute deum & maiorum nostrorum diues sum
satis*

Istas magnas factiones, animos, dotes dapfiles

Clamores, imperia, eburata uehicula, pallas, purpurã,

*Nihil moror, qui in seruitutem sumptibus redigunt ui-
ros.*

Claudi. in Ruffi. lib. I.

Viuitur exiguo melius, natura beatis

Omnibus esse dedit, si quis cognouerit uti.

Hec si nota forent, frueremur simplice cultu,

Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,

Non uentus quateret puppes, non machina muros.

Horat. lib. I. Episto.

Quod satis est, cui contigit, nihil amplius optet,

Non domus & fundus, non æris aceruus & auri

Aegroto domini deduxit corpore febres,

Non animo curas.

Ouid. lib. VIII. Meta.

Instruit & natum, medioq; ut limine curras

Icare, ait, moneo, ne si demissior ibis,

Vnda

Vnda grauet pennas, si celsior, ignis adurat
Inter utrunq; uola.

ENCOMIUM VITAE
RUSTICAE.

Horat. Epo. lib. Ode. II.

Beatus ille, qui procul negocijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

Nec excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare.

Forumq; uitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Ergo aut adulta uitium propagine
Altas maritat populos,

Aut in reducta ualle mugientium
Prospectat erranteis greges,

Inutilcisq; falce ramos amputans,
Fœliciores inserit,

Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondit infirmas oueis,

Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit,

Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & uiuam purpuræ,

Qua muneretur te Priape, & te pater
Syluane tutor finium.

Libet iacere modo sub antiqua ilice,

Modo

Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Quærentur in syluis aues,
Fontesq; lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leueis,
At cum tonantis annus Hybernus Iouis
Imbreis, niueisq; comparat,
Aut trudit acreis hinc & hinc multa cane
Apros in obstanteis plagas,
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdibus edacibus dolos.
Pavidum leporem, & aduenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia.
Quis non malorum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur?
Quod si pudica mulier in partem iuuet
Domum, atq; dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli
Sacrum uetustis extruat lignis focum
Lassi sub aduentum uiri,
Claudensq; textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet ubera,
Et horna dulci uina promens dolio
Dapes inemptas apparet,
Non me lucrina iuuerint conchilia,
Nagisue rombus, aut scari
Si quos heois intonata fluctibus

Non

Hyems ad hoc uertat mare,
 Non Afra auis descendat in uentrem meum,
 Non Attagen Ionicus,
 Iucundior, quàm lecta de pinguiſſimis
 Oliua ramis arborum,
 Aut herba Lapathi prata amantis, & graui
 Maluæ salubres corpori
 Vel agna festis cæsa terminalibus,
 Vel hœdus ereptus lupo.
 Has inter epulas, ut iuuat pastas oucis
 Videre properanteis domum,
 Videre fessos uomerem inuersum boues
 Collo trahenteis languido,
 Positosq; uernas, ditis examen domus,
 Circum reuidenteis lares.
 Hæc ubi loquutus fœnerator Alphius,
 Iam iam futurus rusticus,
 Omnem relegit idibus pecuniam,
 Querit calendis ponere
 Virg. II. Georg.

O fortunatos nimium, bona si sua norint etc. usq; ad
 finem libri secundi.

POTENTIA EXPOSITA
 MALIS.

Ouid. lib. I. de Reme. amo.
 Summa petit liuor, perflant altissima uenti
 Summa petunt dextra fulmina missa Iouis.
 Lucanus lib. VIII.

Sic

Sic longius æuum
Destruit ingentes animos & uita superstes
Imperio, nisi summa dies cum fine bonorum
Affuit, & celeri præuertit tristia lætho,
Dedecori est fortuna prior.

Lucanus lib. I.

Inuida fatorum series summisq; negatum
Stare diu.

PAUPER TAS ET DOLOR
ACV VNT INGENIA.

Manilius lib. I. Astro.

Sed cum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quæq;
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo
Seducta in uarias certarunt pectora curas,
Et quodcumq; sagax tentando reperit usus,

Ouid. VI. Meta.

Grande doloris

Ingenium est, miserisq; uenit solertia rebus.

Ouid. II. de Arte.

Ingenium mala sæpe mouent, quis crederet unquam
Aerias hominem carpere posse uias.

Plautus in Sticho.

Paupertas omnes artes perdocet, ubi quem attigit.

Publius Mi.

Hominem experiri multa, paupertas iubet.

VOLVNTAS SOLA IN-
terdum probanda.

Ouid.

Ouid. III. de Ponto.

*Vt desint vires tamen est laudanda uoluntas,
Hac ego contentos auguror esse deos.
Hac facit ut ueniat pauper quoq; gratus ad aras
Et placeat caeso non minus agna boue.*

Propert. lib. II.

*Quòd si deficient vires, audacia certe
Laus erit, in magnis et uoluisse sat est.*

CLEMENCIA, COMITAS,
OBSEQUIVM.

Terent. in Andria.

Obsequium amicos, ueritas odium parit.

Ouid. lib. II. de Arte.

*Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus,
Frangas, si vires experiare tuas,
Obsequio tranantur aquæ, nec uincere possis
Flumina, si contra, quam rapit unda, nates.
Obsequium Tigresq; domat, tumidosq; leones,
Rustica paulatim taurus aratra subit.*

Terent. in Adel.

*Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo quam metu
Et errat longe, mea quidem sententia
Qui imperium credat grauius esse aut stabilius
Vi quod fit, quam quòd amicitia adiungitur.*

Claudia. de consulatu Manlii Theodori.

*Qui fruitur poena ferus est, legumq; uidetur
Vindictam præstare sibi, quum uiscera felle*

L

Canduerint

Canduerint, ardet stimulis, ferturq; nocendi
Prodigus, ignarus causæ, dijs proximus ille est,
Quem ratio, non ira mouet, qui facta rependens
Consilio, punire potest mucrone cruento.
Se iactent alij, ostentent feritate timeri
Addictoq; hominum cumulent æraria censu.
Lene fluit Nilus, sed cunctis annibus extat
Vtilior, nullas confessus murmure uires.
Acrior ac rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas, eadem clementia seui
Gurgitis immensum deducit in hostia Gangem,
Torrentes immane fremant, lapsiq; minentur
Pontibus, inuoluant spumoso uertice syluas.
Pax maiora decet, peragit tranquilla potestas
Quod uiolenta nequit, mandataq; fortius urget
Imperiosa quies.

ASPERITAS, MOROSITAS.

Ouid. lib. II de Arte.

Dextera præcipue capit indulgentia mentes,
Asperitas odium, seuaq; bella mouet,
Odimus accipitrem, quia uiuit semper in armis,
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidijs hominum, quia mitis hirundo est,
Quasq; colat turres Chaonis ales habet.

IRA.

Horat. lib. I. Episto.

Qui non moderabitur iræ
Infectum uolet esse, dolor quod suaserit & meus

Dum

Dum poenas odio per uim festinat inulto
 Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret,
 Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

Perſius Saty. III.

Nunc face ſuppoſita, ſerueſcit ſanguis, & ira,
 Scintillant oculi, dicisq; facisq; quod ipſe
 Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Statiuſ lib. X.

Ne frena animo per mitte calenti,
 Da ſpaciũ, tenuemq; moram, male cuncta miniſtrat
 Impetus.

Virgiliuſ.

Furor iraq; mentem

Precipitant.

Publiuſ Mimuſ.

Bonum apud uirum cito moritur iracundia.
 Conſilio melius uincas, quàm iracundia.
 Homo extra corpus ſuum eſt, cum irascitur.
 Iracundiam qui uincit, hoſtem ſuperat maximum,

Ouid. lib. I. Amo.

Sed nunquam dederis ſpacioſum tempus in iram.

Sæpe ſimultates ira morata facit.

Idem lib. I. de Reme.

Difficileſ aditus impetus omnis habet.

MODERATIO.

Publiuſ Mimuſ.

Bis uincit, qui ſe uincit, in uictoria.

Idem.

L ij

Effugere

Effugere cupiditatem, regnum est uincere.

Bias Prie. per Auso.

Quod prudentis opus? cum possit, nolle nocere.

Quid stulti proprium? non posse, & uelle nocere.

INUIDIA, LIVOR, ODIUM.

Inuidiæ descriptio apud Ouid.

lib. II. Meta.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,

Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,

Pectora felle uirent, lingua est suffusa ueneno,

Risus abest, nisi quem uisi fecere dolores.

Nec fruitur somno uigilantibus excita curis,

Sed uidet ingratos, intabescitq; uidendo

Successus hominum, carpitq; & carpitur una.

Suppliciumq; suum est.

Quid. lib. III. de Ponto.

Liuor, iners uitium, mores non exit in altos,

Vtq; latens ima uipera serpit humo.

Et ibidem Eleg. III.

Scripta placent à morte ferè, quia lædere uiuos

Liuor & inuiso carpere dente solet.

Idem lib. I. Eleg.

Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit,

Tunc suus ex merito quenq; tuetur honor.

Siluius Italicus lib. XVII.

O dirum exitium mortalibus ô nihil unquam

Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes

Inuidia.

Horat.

Horat. lib. I. Episto.

Inuidus alterius rebus macrescit opimis,
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Plautus in Trucu.

Nam inuidere alij bene esse, tibi male esse, miserum est
Qui inuidet, egent, illi quibus inuidetur, rem habent.

Publius Mimus.

Miserrima est fortuna quæ inimico caret.

Plautus in Capti.

Est miserorū, ut maleuolentes sint, atq; inuideāt bonis.

DE LIVORE EX EPIGRAM.

quæ Virgilio adscribuntur.

Liuor tabificum malis uenenum

Intactis uorat ossibus medullas.

Et totum bibit artubus cruorem.

Quo quisq; furit, inuidetq; sorti,

Vt debet sibi poena semper est.

Testatur gemitu graueis dolores,

Suspirat, gemit, incutitq; denteis.

Sudat frigidus intuens quod odit.

Effundit mala lingua uirus atrum.

Pallor terribilis genas colorat.

Infœlix macies renudat ossa.

Non lux, non cibus est suavis illi,

Nec potus iuuat, aut sapor Lyæi.

Nec si pocula Iuppiter propinet,

Aut hæc porrigat, & ministret Hebæ,

L iij

Aut

*Aut tradat Ganymedes ipse nectar.
Non somnum capit, aut quiescit unquam,
Torquet viscera carnis ex cruentus.
Vesanos tacite mouet furores
Intentans animo faces Erynnis.
Letalis, Tityiq; uultur intus,
Qui semper lacerat, comestq; mentem.
Viuit pectore sub dolente uulnus,
Quod Chironia nec manus leuarit,
Nec Phœbus, sobolesue clara Phœbi.*

ARROGANTIA, IACTANTIA.

Perfius Satyra I.

O mores usq; ad eone

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

Perfius Saty. III.

Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui.

Publius Mimus.

Cito ignominia fit, superbi gloria.

AMBITIO.

Plautus in Amphy.

*Virtute ambire oportet non fautoribus,
Sat habet fautorum semper qui recte facit.*

Claudia. de. III. Consul. Honori.

Emitur sola uirtute potestas.

PHILAVTIA.

Terent. in Adel.

*Homine imperito nunquam quicquam iniustius
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.*

Horat.

Horat. lib. I. Episto.

Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.

Terent. in Andria.

*Verum illud uerbum est, uulgo quod dici solet,
Omnes sibi melius malle esse quam alteri.*

PVDOR.

Plautus in Asina.

Decet uerecundum esse adolescentem.

Plautus in Bacchi.

Nam ego illū perisse duco, quo quidem periit pudore.

PVDICITIA.

Ouidius Epistola. V.

Nulla reparabilis arte

Lesā pudicitia est, deperit illa semel.

Ouid. Episto. XV.

Lis est cum forma magna pudicitiae.

FORTITUDO.

Iuena. Saty. XIII.

Dicimus autem

Hos quoq; fœlices, qui ferre incommoda uita

Nec iactare iugum uita didicere magistra.

Luca. lib. VII.

Fortissimus ille est

Qui promptus metuenda, pati, si comminus instent.

Plaut. in Rudent.

Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum.

Horatius.

Viuite fortes

L. iij

Fortiaq;

Fortiaq; aduersis opponite pectora rebus.

Martialis lib. XI.

Rebus in angustis facile est contemnere uitam.

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Plautus in Capti.

In re mala, animo si bono utare, adiuuat.

Plautus in Pseudo.

Bonus animus in re mala, dimidium est mali.

Idem ibidem.

*Nam ea stultitia est, facinus magnum timido cordi
credere*

*Nam omnes res perinde sunt, ut agas, ut eos magni
facias.*

PATIENTIA.

Ouid. III. Amo. Eleg. X.

Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim

Sæpe tulit lassus succus amarus opem.

Ouid. Episto. V.

Leniter, ex merito quicquid patiare ferendum est,

Quæ uenit indigne, pœna dolenda uenit.

Hora. lib. I. Car. Ode. XXIII.

Durum, sed leuius fit patientia,

Quicquid corrigere est nephas.

Plautus in Asina.

Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.

Manil. lib. III. Astro.

Sors est sua cuiq; ferenda.

Publius Mimus.

Cuiusuis

*Cuiusuis doloris remedium, est patientia.
Feras, non culpes, quod mutari non potest.
Furor fit, læsa sæpius patientia.*

Proper. lib. II. Eleg. V.

*Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti læsa repugnat ouis.*

VINDICTA.

Iuuenalis Saty. XIII.

Quippe minuti

*Semper, & infirmi est animi, exiguiq; uoluptas
Ultio, continuo sic collige, quod uindicta
Nemo magis gaudet, quàm scemina.*

METVS, TIMOR.

Ouid. lib. XIII. Episto.

Vires subtrahit ipse timor.

Martia. lib. XI.

*Quid si me tonsor cum stricta nouacula supra est
Tunc libertatem, diuitiasq; roget,
Promittam? nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat, res est imperiosa timor.*

Publius Mimus.

Stultum est timere, quod uitari non potest.

Virg. lib. III. Aeneid.

Degeneres animos timor arguit.

Ouidius.

*Nos anxius omnia cogit
Quæ possunt fieri facta putare timor.*

Idem.

L v

Si sapis

*Si sapiſ oſt cuſtoſ odioſ(mihî crede) mererî
Deſine, quem metuit quiſq; periffe cupit.*

A V D A C I A.

Ouid. lib. X. Metamor.

In audaces non eſt audacia tuta.

Idem ibidem.

Audentes deus ipſe iuuat.

Virg. lib. VI. Aeneid.

Tu ne cede malis ſed contra audentior ito.

Virg. lib. X.

Audaces fortuna iuuat.

Ouid. lib. II. Faſto.

Audentes forſq; Venusq; iuuat.

Tibullus.

Audendum eſt, fortes adiuvat ipſe deus.

Terent. in Adel.

Fortes fortuna adiuvat.

Publius Mimus.

Nunquam periculum ſine periculo uincitur.

T E M E R I T A S.

Publius Mimus.

Animus uereri qui ſcit, ſcit tuto aggredi.

M I S E R I A.

Ouid. lib. III. de Ponto.

Crede mihi miſeros prudentia prima relinquit

Et ſenſus cum re, conſiliumq; fugit.

G A V D I V M.

Ouid. lib. VII. Meta.

Gaudia

Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.

SPES, CONSOLATIO,
rerum uicissitudo.

Ouid. lib. I. de Ponto.

*Hæc dea cum fugerent, sceleratas numina terras,
In dijs inuisa sola remansit humo.*

*Hæc facit, ut uiuat fossor, quoque compede unctus,
Liberatq; à ferro crura futura putes.*

*Hæc facit ut uideat cum terras undiq; nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aquis,
Sæpe aliquem solers medicorum cura relinquit
Nec spes huic, uena deficiente, cadit.*

Carcere dicuntur clausi sperare salutem.

Atq; aliquis pendens in cruce uota facit.

Idem lib. III.

*Spem iuuat amplecti, quæ non iuuat irrita semper
Et fieri cupias, si qua futura putas.*

*Proximus huic gradus est, bene desperare salutem,
Seq; semel uera scisse perisse fide.*

Idem.

*Spes bona dat uires, animum quoq; spes bona firmat,
Viuerè spe uidi, qui moriturus erat.*

Ouid. VII. Meta.

Flebile principium melior fortuna secuta est.

Tibullus lib. II.

*Iam mala finissem læto, sed credula uitam
Spes fouet & melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis.*

Semina

*Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo uolucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit arte cibus.
Spes etiam ualida solatur compede uinctum.
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.*

Tibullus lib. III.

Venit post multos una serena dies.

Ouid. lib. III. de Ponto.

Consolatio *Temporis officium solatia dicere certi est,
Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.
Et cum longa dies sudauit uulnera mentis,
Intempestiue, qui mouet illa, nouat.*

Idem. III. de Ponto.

*Crede mihi miseris cœlestia numina parcunt
Nec semper laesos & sine fine premunt.*

Ouid. lib. I. Fausto.

*Nec fera tempestas toto tamen errat in anno,
Et tibi, crede mihi, tempora ueris erunt.*

Idem. III. de Ponto.

*Nil adeo fortuna grauis miserabile fecit,
Ut minuant nulla gaudia parte malum.
Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis ut fluat imber aquis.
Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mixta ferè duris utilis herba rubis.*

Idem VI. Fausto.

Scilicet interdum miscentur tristia letis,

DESPERATIO.

Virg.

Virg. lib. II. Aeneid.

Vna salus uictis nullam sperare salutem.

INSPERATA MAGIS GRATA.

Catullus.

Si quicquid cupidoq; optantiq; obtigit unquam

Insperanti, hoc est gratum animo proprie.

Plautus in Mostel.

Insperata accidunt magis saepe, quam quae speres.

CELERITAS, PRAECIPITATIO.

Publius Mitnus.

Ad poenitendum properat, cito qui iudicat.

MORA.

Ouid. de Reme. lib. I.

Dum licet et modici tangunt praecordia motus,

Si piget, in primo limine siste pedem.

Opprime, dum noua sunt subiti mala semina morbi,

Et tuus incipiens ire resistat equus.

Nam mora dat uires, teneras mora percoquit uias

Et ualidas segetes, quod fuit herba, facit.

Quae praebet latas arbor spaciantibus umbras,

Quo posita est primum tempore, uirga fuit.

Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,

Nunc ad in immensum uiribus aucta suis.

Principijs obsta, sero medicina paratur,

Cum mala per longas conualuere moras.

Sed propera, nec te uenturas differ in horas,

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Vidi ego, quod fuerat primo sanabile uulnus

Dilatatum

Dilatum, longa, damna tulisse morae.

Luca. lib. I,

Tolle moras semper nocuit differre paratis.

Perfius Saty. V.

*Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid : quasi magnum
Nempe diem donas, sed cum lux altera uenit,
Iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit ultra.*

Virg. lib. III. Georg.

*Alitur uitium, uiuitq; tegendo,
Continuo culpam ferro compesce, priusquam
Dira per incautum serpani contagia uulgus.*

Perfius Saty. III.

*Helleborum frustra, cum iam cutis agra tumescit
Poscentes uideas, uenienti occurrite morbo.*

Plautus in Amph.

Fames & mora, bilem in nasum conciunt.

Manilius lib. III. Astro.

Mora saepe malorum

Dat causas.

Publius Mimus.

Mora omnis odio est, facit sapientiam.

Claud in. II. lib. in Eutro.

*Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas, ueteri post obruta morbo
Corpora, Pœonias necquicquam admoueris herbas.
Vlcera possessis alte suffusa medullis
Non leuiore manu, ferro sanantur & igni.*

Bona

BONA FAMA.

Publius Mimus

Bona opinio homini, tutior pecunia est.

Idem.

Honestus rumor alterum est patrimonium.

Ouid. IX. Meta.

Et memorem famam, qui bene gessit habet.

FAMA.

Descriptio famæ ex XII.

Meta. Ouid.

Orbe locus medio est inter terrasq; fretumq;
 Coelestesq; plagas, triplicis confinia mundi,
 Vnde quod est usquam quamuis regionibus absit,
 Inspicitur, penetratq; cauas uox omnis ad aures.
 Fama tenet, summaq; domum sibi legit in arce.
 Innumerosq; aditus, ac mille foramina tectis
 Addidit, & nullis inclusit limina portis.
 Nocte dieq; patet, tota est ex ære sonanti,
 Tota fremit, uocesq; refert, iteratq; quod audit.
 Nulla quies intus, nullaq; silentia parte.
 Nec tamen est clamor, sed parvæ murmura uocis.
 Qualia de pelagi (si quis procul audiat) undis
 Esse solent, qualemue sonum cum Iuppiter atras
 Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
 Atria turba tenet, ueniunt leue uulgus euntq;
 Mixtaq; cum ueris passim commenta uagantur
 Millia rumorum, confusaq; uerba uolitant.
 E quibus hi uacuas implent sermonibus aures.

Hi narrata

Hi narrata ferunt alio, mensuraq; ficti
Crescit & auditis aliquid nouus adijcit auctor.
Illic credulitas, illic temerarius error,
Vanaq; letitia est, consternatiq; timores,
Seditioq; recens, dubioq; autore susurri.
Ipsa quid in caelo pelagoq; geratur,
Et tellure uidet totumq; requirit in orbem.

Descriptio famæ ex. III. Aenei. Virg.

Fama, malum quo non aliud uelocius ullum,
Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo.
Parua metu primo, mox sese attollit in auras.
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata deorum
Extremam (ut perhibent) Cæo, Enceladoq; sororem
Progenuit pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore
Tot uigiles oculi, subter (mirabile dictu) (plumæ,
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures,
Nocte uolat caeli medio terræq; per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti prauiq; tenax, quàm nuncia ueri.

Ouid. lib. IX. Metamor.

Fama loquax, quæ ueris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.

INFAMIA.

Plautus in Persa.

Hominum

INFAMIA.

Plautus in Persa.

*Hominum immortalis est infamia
Etiam tum uiuit, cum esse credas mortuam.*

LAUS, HONOR, GLORIA.

Ouid. lib. III. de Ponto.

*Excitat auditor studium, laudataq; uirtus
Crescit & immensum gloria calcar habet.*

Idem. V. Tristi.

*Deniq; non paruas animo dat gloria uires,
Et foecunda facit pectora laudis amor.*

Horat. lib. I. Episto.

Principibus placuisse uiris non ultima laus est.

Ouid. de Medi. faciei.

*Laudatas homini uolucris Iunonia pennas
Explicat, & forma muta superbit auis.*

Propert. lib. III.

*Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria uires,
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.*

Ouid. ad Liuiam.

*Facta ducis uiuent, operosaq; gloria rerum
Hæc manet, hæc auidos effugit rogos.*

Idem. III. Tristi.

Ardua per præceps gloria uadit iter.

SOMNVS.

*Descriptio somni, eiusq; regiae ex
lib. XI. Meta. Ouid.*

Est prope Cimmericos longo spelunca recessus

M

Nons

Mons cauius, ignaui domus & penetralia Somni,
Quo nunquam radijs oriens, mediúsue cadensúe
Phoebus adire potest, nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæq; crepuscula lucis.
Non uigil ales ibi cristati cantibus oris
Euocat auroram, nec uoce silentia rumpunt
Sollicitiue canes, canibusúe sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non muti flamine rami,
Humanæúe sonum reddunt conuitia linguae.
Muta quies habitat, saxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ Loethes, per quem cum murmure labens
Inuitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri foecunda papauera florent,
Innumeræq; herbae, quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.
Ianua ne uerso stridorem cardine reddat
Nulla domo tota est, custos in limine nullus.
At medio torus est Hebeno sublimis in antro
Plumeus, unicolor, pullo uelamine tectus.
Quo cubat ipse deus membris languore solutis,
Hunc circa passim uarias imitantia formas
Somnia uana iacent, totidem quot messis aristas,
Sylua gerit frondes, eiectat littus arenas.

Ouid. lib. II. Amo.

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Plautus in Mostel.

Non bonus est somnus homini de prandio.

Somnia

SOMNIA.

Claudianus in præfatione lib. III.
de raptu Proserpinæ.

Omnia, quæ sensu, uoluntur uota diurno
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa thoro cum membra reponit
Mens tamen ad sylvas, & sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus
Vnaq; nocturnis meta cauetur equis.
Gaudet amans furto, permutat nauita merces,
Et uigil elapsas quærit auarus opes.
Blandaq; largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido poculo fonte sopor.
Me quoq; Musarum studium sub nocte silenti,
Auribus assiduis sollicitare solet.

Tibul. lib. III.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.
Et uanum metuens hominum genus, omnia noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Ouid. lib. I. de Ponto Ele. II.

Somnia ne terrent ueros imitantia casus,
Et uigilant sensus in mea damna mei.

PRINCIPIVM.

Ouid. I. Fasto.

Omnia principijs, inquit inesse solent.

Ouid. I. Remed.

Sed tamen est artis tristissima ianua nostræ

M ij

Et labor

Et labor est unus tempora prima pati.
Aspicias ut prensos urant iuga prima iuuenas,
Ut noua uelocem cingula lædat equum.

Horat. lib. I. Episto.

Dimidium facti, qui cœpit, habet.

FINIS, EXITVS.

Ouid. II. Episto.

Exitus acta probat, careat successibus opto
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Idem. XII. Meta.

Exitus in dubio.

TEMPVS.

Descriptio sedis Temporis per Claud.
in laudes Still. Panegy. secun.

Est ignota procul, nostræq; imperuia menti
Vix adeunda deis, annorum squalida mater
Immensi spelunca æui, quæ tempore uasto
Suppeditat, reuocatq; sinus, complectitur antrum
Omnia qui placido consumit numina serpens.
Perpetuumq; uiret squamis, caudamq; reducto
Ore uorat tacito relegens exordia lapsu,
Vestibuli custos uultu longæua decoro,
Ante fores natura sedet, cunctisq; uolantes
Dependent membris animæ, mansura uerendus
Scribit iura senex, numeros qui diuidit astris
Et cursus, stabilesq; moras, quibus omnia uiuunt,
Ac pereunt, fixis cum legibus ille recenset
Incertum quid Martis iter, certumq; tonantis

Proficiat

Proficiat mundo, quid uelox semita luna,
 Pigraq; Saturni quantum Cytherea sereno
 Curriculo, Phœbiq; comes Cyllenius erret.

TEMPVS EDAX RERVM, ET EO
 nihil esse uelocius, eoq; omnia produ-
 ci, consumi & mutari.

Quid. lib. X. Meta.

Labitur occulte, fallitq; uolatilis ætas,
 Et nihil est annis uelocius.

Idem lib. XV. Meta.

Nihil est toto quod perstet in orbe,
 Cuncta fluunt, omnisq; uagans formatur imago.
 Ipsa quoq; assiduo labuntur tempora motu,
 Non secus, ac flumen, neq; enim consistere flumen,
 Nec leuis hora potest, Sed ut unda, impellitur unda,
 Urgeturq; eadem, ueniens, urgetq; priorem.

Omnia ca-
 duca.

Tempora sic fugiunt pariter, pariterq; sequuntur.
 Et noua sunt semper, Nam quod fuit ante, relictū est,
 Fitq; quod haud fuerat, momentaq; cuncta nouantur.

Idem ibidem.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa uetustas
 Omnia destruitis uitiataq; dentibus æui
 Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Idem lib. VI. Fausto.

Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis,
 Et fugiunt freno non remorante dies.

Idem lib. IIII. de Ponto.

Tabida consumit ferrum lapidemq; uetustas,

M ij

Nullaq;

Nullaq; res maius tempore robur habet.

Ouid. lib. II. de Arte.

Dum uires anniq; sinunt, tolerate labores

Iam ueniet tacito curua senecta pede.

Idem lib. III. de Arte.

Venturae memores iam nunc estote senectae,

Sic nullum uobis tempus abibit iners.

Dum licet, & ueros etiam nunc editis annos,

Discite, eunt anni more fluentis aquae.

Nec quae praeterijt, cursu. reuocabitur unda,

Nec quae praeterijt, hora redire potest.

Vtendum est aetate, cito pede labitur aetas,

Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Ouid. lib. I. Amo.

Labitur occulte, fallitq; uolatilis aetas,

Et celer admissis labitur annus equis.

Martialis lib. IX.

Quid non longa dies, quid non consumitis anni?

Ouid. lib. III. Tristi.

Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri,

Præbet & incuruo colla premenda iugo.

Tempore paret equus lentis animosus habenis,

Et placido duros accipit ore lupos.

Tempore seuorum compescitur ira leonum,

Nec feritas animo, quae fuit ante, manet.

Quaeq; sui iussis obtemperat in dae magistri

Bellua, seruitium tempore uicta subit.

Tempus ut extensis tumeat facit uuae racemis,

Vtq;

Utq; merum capiant grana, quod intus habent.
 Tempus & in cauas semen producit aristas,
 Et ne sint tristi poma sapore facit.
 Hoc dentem tenuat terram fidentis aratri,
 Hoc rigidos silices, hoc adamantæ terit.
 Hoc etiam seuas paulatim mitigat iras,
 Hoc minuit luctus, mœstaq; corda leuat.
 Cuncta potest igitur tacito pede lapsa uetustas.

Horat. lib. III. Car.

Damnosa quid non imminuit dies?
 Actas parentum peior auis, tulit
 Nos nequiores, mox daturos
 Progeniem uitiosiore.

Horat. lib. I. Episto.

Quicquid sub terra est, in apricum proferet ætas.

Horat. lib. II. Episto.

Singula de nobis anni prædantur euntes
 Eripuere iocos, Venerem, conuiuia, ludos.

Iuuenalis Saty. IX.

Festinat etenim decurrere uelox
 Flosculus, angustæ miseræq; breu. sîma uitæ
 Portio, dum bibimus, dum ferta, unguenta, puellas
 Poscimus, obrepsit non intellecta senectus.

Ouid. lib. V. Tristi.

Scilicet exiguis prodest annosa uetustas
 Grandibus accedunt tempora damna malis.

Terent. in Heauton.

Dies adimit ægritudinem hominibus.

M iij

Tibul.

Tibul.lib.I.

Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida signa uice.

Et infra.

At si tardus eris, errabis transiet ætas
Quàm cito, non segnis stat, remeatq; dies.
Quàm cito purpureos deperdit terra calores,
Quàm cito formosas populus alta comas.
Quàm iacet, infirmæ uenere ubi fata senectæ
Qui prior elæo est carcere missus equus.
Vidi iam iuuenem premeret cum senior ætas
Mœrentem tardos præterijisse dies.

Idem.

At tu dum primi floret tibi temporis ætas
Utere, non tardo labitur illa pede.

Ouid.lib.V.Fasto.

Sed longa uetustas

Destruit, & saxo longa senectæ nocet.

AETATVM DISCRIMINA, PVE
ritia, Iuuentus, Senectus.

Cornel.Gallus.

Diuersos diuersa iuuant, non omnibus annis
Omnia conueniunt, res prius apta nocet.
Exultat leuitate puer, grauitate senectus,
Inter utrunq; manens stat iuuenile decus.
Hunc tacitum tristemq; decet, sit clarior ille

Letitia

Letitia, & linguae garrulitate sua.
 Cuncta trahit secum uertitq; uolubile tempus
 Nec patitur certa currere quenq; uia.

DE AETATIBVS HOMINVM
 ex lib. XV. Meta. Ouid.

Quid non in species secedere quatuor annum
 Aspicias, aetatis peragentem imitamina nostrae?
 Nam tener, & lactens, pueriq; simillimus aeuo,
 Vere nouo est, tunc herba nitens, & roboris expers, **Pueritia.**
 Turget, & insolida est, & spe delectat agrestes.
 Omnia tum florent, florumq; coloribus almus
 Ludit ager, neq; adhuc uirtus in frondibus ulla est.
 Transit in aetatem post uer, robustior annus,
 Fitq; ualens iuuenis, neq; enim robustior aetas
 Vlla, nec uberior, nec quae magis ardeat ulla est.
 Excipit autumnus posito feruore iuuentae
 Maturus, mitisq; inter iuuenemq; senemq;
 Temperie medius, sparsus quoq; tempora canis
 Inde senilis hyems tremulo uenit horrida passu,
 Aut spoliata suos, aut quos habet, alba capillos.

Iuuentus.

Aetas uirilis.

Senectus.

Horat. de arte Poeti.

Reddere qui uoces iam scit puer, & pede certo
 Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
 Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
 Imberbis iuuenis tandem custode remoto
 Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi,
 Cereus in uitium flecti, monitoribus asper,
 Ut ilium tardus prouisor, prodigus aëris.

Pueritia.

Iuuentus.

M

Sublimis,

Sublimis, cupidusq; & amata relinquere, pernix.
Actas uirilis. Conuersis studijs ætas, animusq; uirilis

Quærit opes, & amicitias, inseruit honori,
Commisisse cauet, quod mox mutare labore

Senectus. Multa senem circumueniunt incommoda, uel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quòd res omnes timide, gelideq; ministrat,
Dilator, spe longus, iners auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorq; minorum.

Horat. lib. I. Episto.

Nunc adhibe puro

Pectore uerba puer, nunc te melioribus offer,
Quo semel est imbuta recessus seruabit odorem
Testa diu.

Cornelius Gallus.

Tu me sola tibi subdis miseranda senectus,
Cui cedit quicquid uincere cuncta potest,
In te corruimus, tua sunt quæcumq; fatiscunt,
Ultima quæq; tuo conficis ipsa malo.

Turpe seni uultus nitidi, uestesq; decoræ,
Atq; etiam est ipsum uiuere turpe senem.
Crimen, amare iocos, crimen, conuiuia, cantus,
O miseri quorum gaudia crimen habent.

Stat dubius tremulusq; senex, semperq; malorum
Credulus, & stultus quæ facit ipse timet.
Laudat præteritos, præsentis despicit annos,
Hoc tantum rectum, quod facit ipse putat.

Se solum

Se solum doctum, se iudicat esse peritum,
 Et quòd sit sapiens, desipit inde magis.
 Multa licet nobis referens, eademq; reuolvens
 Horret, & alloquium conspuet ipse suum.
 Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.
 O sola fortes garrulitate senes.
 Omnia nequicquam clamoris uocibus implet,
 Nil satis est, horret quæ placuere modo.
 Arridet de se ridentibus, ac sibi plaudens
 Incipit opprobrio letior esse suo.
 Hæ sunt primitiæ mortis, his partibus ætas
 Defluit, & pigris gressibus ima petit.
 Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,
 Non species eadem quæ fuit ante manet.
 Labitur ex humeris demisso corpore uestis,
 Quæq; breuis fuerat iam modo longa mihi est.
 Contrahimur, miroq; modo decrescimus ipsi,
 Diminui nostri corporis ossa putes.
 Nec cælum spectare licet, sed prona senectus
 Terram à qua genita est & reditura uidet.
 Fitq; tripes, prorsus quadrupes, ut paruulus infans,
 Et per sordentem flebile serpit humum.
 Ortus cuncta suos repetunt matremq; requirunt
 Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.
 Hinc est quod baculo incumbens ruitura senectus
 Assiduo pigram uerberare pulsat humum.
 Et numerosa mouens certo uastigia passu,
 Talia rugato creditur ore loqui.

Suscipe

*Suscipe me genitrix, nati miserere laborum,
Membra uelis gremia fessa fouere tuo.*

Iuena. Saty. X.

*Sed quàm continuus & quantis longa senectus
Plena malis, deformem, & tetrum ante omnia uultum
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendientesque genas, & taleis aspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In uetula scalpit iam mater, simia buca.
Plurima sunt iuuenum discrimina, pulchrior ille
Hoc, atque ille alio, multum hic robustior illo
Vna senum facies, cum uoce trementia labra,
Et iam leue caput, madidique infantia nasi
Frangendus misero gingiua panis inermi
Vsq; adeo grauis uxori, natisque sibi;
Ut captatori moueat fastidia Cossus.
Præterea minimus gelido iam corpore sanguis
Febre calet sola, circumfilit agmine facto
Morborum omne genus.*

Terent. in Adel.

*Ad omnia alia, ætate sapimus rectius,
Solum unum hoc uitium affert senectus hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quàm sat est.*

Terent. in Phor.

Senectus ipsa morbus est.

Publius Mimus.

*Frustra, cum ad senectam uentum est, repetes adole-
scentiam.*

Virgilius

Virgilius lib. IX. Aeneid.

Tarda senectus

Debilitat vires animi, mutatq; uigorem.

Ouid. lib. IX. Meta.

Iura senes norunt, & quid liceat, nefasq;

Fasq; sit inquirant, legumq; examina seruent.

Ouid. V. Fausto.

Iuuenilibus annis

Luxuriant animi corporaq; ipsa uigent.

SENES VENERANDI.

Ouid. V. Fausto.

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,

Inq; suo precio ruga senilis erat.

Martis opus iuuenes, animosaq; bella gerebant,

Et pro dijs aderant in statione suis.

Viribus illa minor, nec habendis utilis armis

Consilio patriæ sæpe ferebat opem.

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,

Nomen & ætatis mite senatus habet.

Iura dabat populo senior, finitaq; certis

Legibus est ætas, unde petatur honos.

Et medius iuuenum non indignantibus ipsis

Ibat & interior si comes unus erat.

Verba quis auderet coram sene digna rubore

Dicere? censuram longe senecta dabat.

Idem lib. II. Artis.

Adde quod est senibus rerum prudentia maior

Solutus & artifices qui facit, usus adest.

Ouid.

Ouid. lib. VI. Meta.

Nanq; omnia grandior ætas
Quæ fugiamus habet, seris uenit usus ab annis.

Iuuenalis Saty. XIII.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis uetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumq; puer, licet ipse uideret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.
Tam uenerabile erat præcedere quatuor annis
Primaq; par adeo sacre lanugo senectæ.

Cornelius Gallus.

Sit grauitas, sitq; ipsa tibi ueneranda senectus,
Sit quod te nosti uiuere uelle diu.

PAEDAGOGIA.

Plaut. in Bacchi. Actus. III. Scena. III.

Lydus, Philoxenes.

Nunc experiar sit ne acetum tibi cor acre in pectore.
Sequere me. Ph. Quò te sequar? aut quo nunc me du-
cis? Ly. ad illam,

Quæ tuum perdidit, pessundedit tibi filium unicum.

Ph. Eia Lyde leniter qui sæuiunt, sapiunt magis.

Mimus mirandum est, illa ætas si quid illorum facit,

Quàm si non facit, feci ego istæc itidem in adolescētia.

Ly. Hei mihi, hei mihi istæc illum perdidit assentatio.

Nam absq; te esset, ego illum haberem rectum ad inge-
nium bonum.

Nunc propter te, tuamq; prauos factu' st fiduciam.

Ph. Paulisper Lyde lubido' st homini suo animo obse-
qui. Iam

Iam aderit tempus, cū sese etiā ipse oderit, morē geras
 Dum caueatur, præter æquom ne quid delinquat, sine.
 Ly. Non sino, neq; equidē illū me uiuo corrumpi sinam.
 Sed tu, qui pro tam corrupto dicis causam filio,
 Eadēne erat hæc disciplina olim, quom tu adolescens
 eras?

Nego tibi annis uiginti fuisse primis copiam,
 Digitū longe à pædagogo pedem ut efferres ex ædibus
 Ante solem exorientem nisi in palæstram ueneras,
 Gymnasij præfecto haud mediocreis pœnas penderes.
 Idq; ubi obtigerat, hoc etiam ad malum arcessebatur
 malum,

Et discipulus, & magister perhibebantur improbi.
 Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu, pila,
 Saliendo se exercebant magis, quàm scorto, aut sauijs.
 Ibi suam ætatem extendebant, non in latebrosis locis.
 Inde de Hippodromo, & palæstra, ubi reuenisses do-
 mum,

Cincticulo præcinctus in sella apud magistrū assideres
 Tum librum legeres, si unam pecauisses syllabam,
 Fieret coriū tā maculosum, quàm est nutricis pallium.
 Ph. Alij Lyde nunc mores. Ly. Id equidem ego certo
 scio.

Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio,
 Quàm magistri desinebat dicto esse obediens,
 At nūc priusquàm est septuennis, si eū attingas manu,
 Extemplo puer pædagogo tabula dirumpit caput.
 Cum patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater,
 Noster

Noster esto, dum te poteris defensare iniuria.
Prouocatur pædagogus, eho senex minimi precij
Ne attingas puerum ista causa, quando fecit strenue.
Id magister quasi lucerna expletus uncto linteo,
Itur illinc iure dicto, uerum hoc cime hic pacto potest
Inhibere imperium magister, si ipse primus uapulet &

FORMA.

Ouid. lib. I. Fasto.

Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam.

Ouid. Episto. IX.

Non honor est, sed onus, species lesura ferentes

Lis est cum forma, magna pudicitia.

Idem. II. de Arte.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos

Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.

Nec semper uiolæ, nec semper lilia florent,

Et riget amissa spina relicta rosa.

Et tibi iam uenient, cani formose capilli,

Iam uenient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Iam molire animum, qui duret, & astrue formam

Solus, ad extremos permanet ille rogos.

Artes. Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes

Cura sit & linguas edidicisse duas.

Idem. III. Tristi.

Ista decens facies longis uitiabitur annis,

Rugaq; in antiqua fronte senilis erit

Inijcietq; manus formæ damnosa senectus

Quæ strepitum passu non faciente uenit.

III. de Arte.

III. de Arte.

Quàm, cito me miserum, laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido qui fuit in ore color.

Plaut. in 'Pœnu. Adelphasium meretrix.

Bono ingenio me esse ornatam, q̄ auro multo mauolo. Ingenium
bonum.

Aurum in fortuna inuenitur, natura ingenium bonum,

Bonam ego quàm beatam me esse nimio dici mauolo,

Meretricem pudorem gerere magis decet, quàm puram,
puram,

Magis meretricem pudorem, quàm aurum gerere
condecet.

Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collimunt,

Lepidi mores turpem ornatũ facile factis comprobãt.

Publius Mimus.

Magno cum periculo custoditur, quod multis placet.

Iuena. Saty. X.

Rara est adeo concordia formæ

Atq; pudicitie.

Propertius.

Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis

Longius aut propius, mors sua quemq; manet.

VSV OMNIA CONSVMI.

Ouid. lib. I. de Arte.

Ferreus assiduo consumitur annulus usu,

Interit assidua uomer aduncus humo

Quid magis est durum saxo? quid mollius undas?

Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Ouid. lib. III. de Ponto.

N

Gutta

*Gutta cauat lapidem, consumitur annulus usu,
Et teritur pressa uomer aduncus humo.*

VSVM RERVM PRODESSE,
negligentiam obesse.

Ouid. lib. I. Amo.

*Aera nitent usu, uestis bona quaerit haberi,
Canescunt turpi tecta relictâ situ.*

VETERA ET VETVSTATE QVAE,
dam commendari ac inclarescere.

Proper. lib. III.

*Omnia post obitum fingit maiora uetustas,
Maius ab obsequijs nomen in ora uenit.*

Ouid. lib. III. de Ponto.

*Scripta placent à morte quidem, quia ledere uiuos
Liuor, & inuiso carpere dente solet.*

Idem ibidem lib. I.

*Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescet
Tunc suus ex merito, quenq; tuetur honor.*

Martialis lib. V.

*Esse quid hoc dicam, uiuis quod fama negatur
Et sua quod rarus tempora lector amat.*

*Hi sunt inuidiae nimirum Regule mores,
Praeferat antiquos semper ut illa nouis.*

NOVA.

Ouid. lib. III. de Ponto.

*Est quoq; cumetarum nouitas gratissima rerum
Gratiaq; officio, quod mora tardat abest.*

Cornelius Gallus.

Euertus

Basilij Behring 756



Euentus uarios, res noua semper habet

OCCASIO ET TEMPVS
spectandum.

Ouid. lib. I. de Reme.

*Temporibus medicina ualet, data tempore profune
Et data non apto tempore, uina nocent,*

Ouid. lib. I. Artis.

Scit bene uenator ceruis ubi retia tendat,

Scit bene qua frendens ualle moretur aper,

Aucupibus noti frutices, qui sustinet hamos,

Novit, quæ multo pisce natentur aquæ.

Plautus in Persa.

Virtus est, ubi occasio admonet, dispicere.

AVSONIUS IN EPIGRAM.

de simulachro occasionis
& pœnitentiæ.

Cuius opus ? Phidiæ, qui signum Pallados, eius

Quiq; Iouem fecit, tertia palma ego sum,

Sum dea quæ rara, et paucis Ocasio nota.

Quid rotulae insistis ? stare loco nequeo.

Quid talaria habes ? uolucris sum, Mercuriusq;

Fortunare solet, tardo ego cum uolui.

Crine tegis faciem ? cognosci nolo. Sed heus tu

Occipiti caluo es, ne tenear fugiens.

Quæ tibi iuncta comes ? dicat tibi. Dic rogo, quæ sis.

Sum dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.

Sum dea, quæ facti, non factiq; exigo pœnas,

Nempe ut pœniteat, Sic Metanœa uocor.

N ij

Tu

*Tu modo dic, quid agat tecum: si quando uolauī
Hæc manet, hanc retinent quos ego præterij.
Tu quoq; dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.*

CONTAGIO.

Ouid. lib. II. de Arte.

*Dum spectant læsos, oculi læduntur & ipsi
Multaq; corporibus transitione nocent.*

Iuue. Saty. II.

*Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures, sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci,
Vuaq; conspecta liuorem ducit ab uua.*

VICINITAS.

Horat. lib. I. Episto.

*Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere uires.*

Plaut. in Mercatore.

*Nunc ego uerum illud uerbum esse experior uetus,
Aliquid mali esse propter uicinum malum.*

MEDICINA.

Ouid. I. de Ponto.

*Non est in medico semper releuetur ut æger,
Interdum docta plus ualet arte malum.
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla uulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.*

Cura

*Cura quoq; interdum nulla medicabilis arte,
Aut si sit, longa est attenuanda mora.*

Horat. lib. II. Episto.

Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Ouid. lib. I. Meta.

*Cuncta prius tentanda, sed immedicabile uulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.*

Ouid. lib. II. Tristi.

*Eripit interdum, modo dat medicina salutem,
Quæq; iuuat monstrat, quæq; sit herba nocens.*

Publius Mimus.

Mala est medicina, ubi aliquid naturæ perit.

Ouid. III de Ponto.

*Firma ualent per se, nullumq; Machaona querunt,
Ad medicam dubius confugit æger opem.*

Ibidem.

Non eadem ratio est sentire & demere morbos.

Sensus inest cunctis, tollitur arte malum.

MATHEMATICORVM EN-
COMIUM.

Ouid. lib. I. Fasto.

Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primum,

Inq; domus superas scandere cura fuit.

Credibile est illos pariter uitijsq; iocisq;

Altius humanis exeruisse caput.

Non uenus & unum sublimia pectora fregit.

Officiumq; fori, militiæq; labor.

Nec leuis ambitio, perfusaq; gloria fuco,

N iij

Magnarum

Magnarumque fames sollicitauit opum.
Ad mouere oculis distantia sydera nostris,
Aetheraque ingenio supposuere suo.
Sic petitur coelum non ut ferat Ossa Olympus
Summaque Pelias sydera tangat apex.

ENCOMIUM CONIUGII.

Horat. lib. I. Ode. XIII.

Fœlices ter, & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuisus querimonijs
Suprema citius, soluet amor die.

Propert. lib. II.

Exemplo iunctæ tibi sint in amore columbæ
Masculus, & totum foemina coniugium.

QVAE VRBS MVNITA.

Plaut. in Persa.

Sagaristio Quid id quod uidisti, ut munitum muro tibi uisum est
seruus. oppidum?

Persa uir= Si incolæ bene sunt morati, pulchre munitum arbitror,
go. Perfidia, & peculatus ex urbe, & auaritia si exu-
lent,

Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obrectatio,
Septimum periurium, octaua indulgentia,
Nona iniuria, decima, quod pessimum aggressu scelus,
Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus secun-
dis parum est.

AMISSA DESIDE-

rari.

Horat.

Horat. lib. III. Car.

Virtutem incolumem odimus.

Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Plautus in Captiuis.

Tum deniq; homines nostra intelligimus bona

Quam quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

PROMISSA.

Quid. lib. I. de Arte.

Promittas facito, quid enim promittere lædit,

Pollicitis diues quilibet esse potest.

Horat. lib. I. Episto.

Multa fidem promissa leuant.

EX FONTE HAVRIVNTVR

dulciores aquæ.

Quid. lib. III. de Ponto.

Nam quanquam sapor est ablata dulcis in unda

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Et magis adducto pomum decerpere ramo,

Quam de coelata sumere lance iuuat.

Martialis.

Multum crede mihi refert à fonte bibatur,

Qui fluit, an pigro quem stupet unda lacu.

SEMEL LAESVS TIMET

& cauet.

Quid. II. de Ponto.

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,

Omni bus unca cibus æra subesse putat.

Terretur minimo pennæ stridore columba,

N iij

Vnguibus

Vnguibus accipiter saucia facta tuis.
Non procul à stabulis audet discedere, si qua
Excussa est auidi dentibus agna lupi.
Vitaret coelum Phaethon si uiueret, & quos
Optauit stulte tangere nollet equos.

Publius Mimus

Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium
facit.

Propert. lib. III. Eleg. XI.

Venturam melius praesagit nauita mortem
Vulneribus didicit miles habere metum.

QVATVOR ELEMENTA.

Ouid. XV. Meta.

Quatuor aeternus genitalia corpora mundus
Continet, ex illis duo sunt onerosa, suoque;
Pondere, & inferius tellus atque unda feruntur,
Et totidem grauitate carent, nulloque premente
Alta petunt aer atque aere purior ignis.

Idem. I. Meta.

Ignea conuexi uis & sine pondere caeli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.
Proximus est aer illi, leuitate, locoque;
Densior his tellus, elementaque grandia traxit
Et pressa est grauitate sui, circumfluus humor
Ultima possedit solidumque coercuit orbem.

DE MENSIBVS ET QVA-
tuor anni tempestatibus.

Ouid. II. Meta.

Verque;

Verq; nouum stabat cinctum florente corona,
 Stabat nuda Aestas, & spicea ferta gerebat.
 Stabat & Autumnus calcatis sordidus uuis,
 Et glacialis Hyems canos hirsuta capillos.

Ausonius.

Aeternos menses, & tempora quattuor anni,
 Quattuor ista tibi subiecta monostica dicent.
 Martius, Aprilis, Maius, sunt tempora ueris,
 Iulius, Augustus, nec non & Iunius aestas,
 Septembri, Octobri, autumnus, totoq; Nouembri.
 Brumales Ianus, Februarius atq; December.

Ouid. I. de Remè.

Poma dat Autumnus, formosa est messibus aestas,
 Ver præbet flores, igne leuatur hyems.

DVODECIM SIGNA
 cœlestia.

Incerti Autoris.

Primus adest Aries, Taurusq; insignibus auro
 Cornibus, & fratres, & Cancer aquatile signum,
 Tum Leo terribilis Nemees, atq; innuba Virgo.
 Libra subit, caudaq; animal quod dirigit ictum,
 Armatusq; arcu Chiron, & corniger hircus,
 Fusor aquæ simul, & fulgenti lumine pisces.

Manilius lib. I. Astro.

Aurato princeps Aries in uellere fulgens
 Respicit admirans aduersum surgere taurum,
 Submisso uultu geminos, & fronte uocantem
 Quos sequitur Cancer, cancrum Leo, Virgo leonem,

N

v

Aequato

Aequato tum Libra die cum tempore noctis,
 Attrahit ardenti fulgent em Scorpion astro,
 In cuius caudam contentum dirigit arcum,
 Mixtus equo uolucrum missurus iamq; sagittam.
 Tum uenit Augusto Capricornus sydere flexus,
 Post hunc inflexam diffundit Aquarius urnam,
 Piscibus assuetas auide subeuntibus undas,
 Quos Aries tangit claudentes ultima signa.

DE NOMINIBVS STELLARUM.

Ausonius.

Ad Boreæ partes Arcti iunguntur & Anguis,
 Post has Arctophylax, pariterq; Corona, genuq;
 Prolapsus, lyra, auis, Cepheus & Cassiopæa,
 Auriga & Perseus, deltoton, & Andromedæ astrum,
 Pegasus & Delphinus, telum, aquila, anguitenensq;
 Signifer inde subest, bis sex & sydera complent.
 Hinc aries, taurus, gemini, cancer, leo, uirgo,
 Libra, & scorpius, arcitenens, capricornus, & urnam
 Qui tenet, & pisces. hi sunt in partibus austri,
 Orion, procion, lepus, ardens Sirius, Argo,
 Hydrus, Chiron, thuribulum quoq; piscis, & ingens
 Hunc sequitur pistris, simul Eridaniq; fluenta.

QUATVOR AETATES hominum.

Ouid. lib. I. Transfor.

Aurea *æ* Aurea prima sata est ætas, quæ uindice nullo
 t. as. Sponte sua sine lege fidem, rectumq; colebat,

Pœna

Poena, metusq; aberant, nec uerba minantia fixo
 Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
 Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.
 Non dum caesa suis, peregrinum ut uiseret orbem,
 Montibus, in liquidas pinus descenderat undas,
 Nullaq; mortales, praeter sua, littora norant.
 Non dum praecipites cingebant oppida fossae,
 Non tuba directi, non aëris cornua flexi,
 Non galeae, non ensis erat, sine militis usu
 Mollia securae peragebant otia gentes.
 Ipsa quoq; immunis, rastrisq; intacta, nec ullis
 Saucia uomeribus per se dabat omnia tellus.
 Contentiq; cibus nullo cogente creatis,
 Arbutos foetus, montanaq; fraga legebant,
 Cornaq; et in duris haerentia mora rubetis,
 Et quae, deciderant patula Iouis arbore, glandes.
 Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
 Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
 Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
 Nec renouatus ager gravidis canebat aristis.
 Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
 Flauaq; de uiridi stillabant ilice mella.
 Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso,
 Sub Ioue mundus erat, subijtq; argentea proles
 Auro deterior, fuluo preciosior aere,
 Iuppiter antiqui contraxit tempora ueris,
 Per hyemes, aestusq; et inaequales autumnos,
 Et breue uer, spacijs exegit quattuor annum.

Aetas ar-
 gentea.

Tum

Tum primum siccis aer feruoribus ustus
Canduit, & uentis glacies astricta pependit.
Tum primum subiere domos, domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & iunctæ cortice uirgæ.
Semina tum primum longis cerealìa sulcis
Obruta sunt, pressiq; iugo genuere iuueni.

Aetas ahc= Tertia post illam successit ahcnea proles
nea. Sæuior ingenijs, & ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen, de duro est ultima ferro.

Aetas quar Protinus irrupit uenæ peioris in æuum
ta ferrea. Omne nephas, fugere pudor, uerumq; fidesq;
In quorum subiere locum, fraudesq; doliq;
Insidiæq;, & uis, & amor sceleratus habendi.
Vela dabat uentis, nec adhuc bene nouerat illos,
Nauita, quæq; diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultauere carinæ.
Communemq; prius, ceu lumina solis, & auræ,
Cautus humum longo signauit limite mensor,
Nec tantum segetes, alimenta; debita diues
Poscebatur humus, sed itum est in uiscera terræ,
Quasq; recondiderat, stygijsq; admouerat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Opes. Iamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroq;
Sanguinea; manu crepitantia concutit arma.
Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti,

Lurida

Lurida terribiles miscent aconita nouerca,
 Filius ante diem patrios inquirat in annos,
 Victa iacet pietas, & uirgo, cæde madentes
 Vltima cœlestum terras Astræa reliquit.

Tibullus lib. I.

Quam bene Saturno uiuebant rege, priusquam
 Telus in longas est patefacta uias.
 Nondum cæruleas pinus contempserat undas,
 Effusum uentis præbueratq; sinum.
 Nec uagus ignotis repetens compendia terris,
 Presserat extrema nauita merce ratem.
 Illo non ualidus subiit iuga tempore taurus,
 Non domito frenos ore momordit equus.
 Non domus ulla fores habuit, nec fixus in agris
 Qui regeret certo finibus arua lapis.
 Ipsæ mella dabant quercus, ultro ferebant
 Obuia securis ubera lactis oues.
 Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses
 Immiti sæuus duxerat arte faber,
 Nunc Ioue sub domino cædes & uulnera semper,
 Nunc mare, nunc loethi mille reperti uia.

DE AETATIBVS ANI-
 mantium.

Incerti Autoris.

Ter binos, deciesq; nouem superexit in annos
 Iusta senescentum, quos implet uita uirorum.
 Hos nouies superat uiuendo garrula Cornix.
 Et quater egreditur cornicis secula ceruus.

Alipedem

*Alipedem ceruum ter uincit coruus, at illum
Multiplicat nouies phœnix reparabilis ales.
Quem nos perpetuo decies, præuertimus æuo,
Nymphæ Hamadryades, quarum longissima uita est,
Hec cohibent fines uiuacia fata animantum.
Cætera secreti nouit deus arbiter æui.*

MVSARVM INVENTA.

*Carminè Calliope libris Heroica mandat.
Clio gesta canens transfactis tempora reddit.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.
Terpsichore affectus citharis mouet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, uultu.
Signat cuncta manu, loquiturq; Polymnia gestu.
Vraniaq; poli motus scrutatur, & astra.
Comica lasciuo gaudet sermone Thalia.
Mentis Apollinæ uis has mouet undiq; Musas,
In medio residens complectitur omnia Phœbus.*

SERVORVM IMPERIVM.

Claudia. lib. I. in Eutro.

*Asperius nihil est, humili cum surgit in altum
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in omnes
Vt se posse putent, nec bellus tetrrior ulla est,
Quam serui rabies in libera colla furentis
Agrosçit gemitus, & pœnæ parcere nescit,
Quam subijt, dominiq; memor quem uerberat, odit.*

FINIS.


Cd 470

ULB Halle

3

002 402 904






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



SENTEN-

TIAE VETERVM POETA-
RVM, PER LOCOS COM-
MVNES DIGESTAE.

Aucta & recognita per
GEORGIVM MAIOREM.

Magdeburgi excudebat Michael
Lotther, Anno
M. D. XXXVII.

1907 2307

